



DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
CONTRACTIBVS  
USURARIIS,

Don Wücherlichen Contracten.

Q V A M

ANNVENTE DIVINA GRATIA,

PRÆSIDE

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO,  
AT QVE EXCELLENTISSIMO VIRO

DN. HENRICO Hähnen/ ICTO,  
CODICIS PROFESSORE ORDINARIO,  
FACVLTATIS SVÆ SENIORE, AC DICASTE-  
RII GVELFERBYTANI ADSESSORE &c. DN. PRÆ-  
CEPTORE ET PATRONO SUO Æ-  
TATEM HONORANDO

*Publicæ disquisitioni submittit*

HENNING JOHAN Tärcke

Ad diem xx x. Ianuarij.

☞ ) o ( ☞

HELMESTADI:

Typis HENNINGI MULLERI

CIO IO C LVI.

CONTRACTVS

CONTRACTVS

CONTRACTVS

CONTRACTVS

CONTRACTVS

CONTRACTVS

CONTRACTVS

CONTRACTVS







DISSERTATIO

DE

CONTRACTIBUS  
USURARIIS,

Don Wücherlichen Contracten.

THESIS I.

**U**lm leges in quavis bene constitutâ Rep.  
hoc intendant, ut Civibus bene sit; certè  
hoc avertere & tollere omnibus modis de-  
bent, quod felicitatem Civitatis impedire  
maximè deprehenditur. Et verò Resp.  
in signi felicitatis parte destituitur, si inju-  
sti contractus permittantur, inque negocijs privatorum,  
quoad fieri potest, non observetur æqualitas: necesse  
enim ita est alterum lædi, alterum verò cum alterius  
partis damno locupletari, contra principia à justitia parti-  
culari deducta. Quapropter eæ juris partes probè evol-  
vendæ sunt, quibus injustis contractibus occurritur: hoc  
enim ad Jcti officium quoque spectat, ut damna, quæ con-  
trahentibus occasione contractuum nonnunquam emer-  
gere solent, præcaveat.

II.

Inter hæc negocia, quæ alterum contrahentium enor-  
miter lædunt, alteri verò in signe lucrû afferunt, non postre-  
mum

A z

mum



num locum vendicare sibi videntur contractus usurarij. Opera igitur pretium me facturum arbitror, si de his pro ingenij imbecillitate quædam proponam. Dicturi autem de contractibus usurarijs primùm omnium naturam & essentiam usuræ evolvemus.

III.

Videtur verò usura quiddam fructibus simile: quare rectè definiri poterit, quod sit accessio sortis seu quantitatis debitæ: quemadmodum enim fructus rerum, quas natura produxit, augent & multiplicant substantiam nostram: ita quoque usura debitam quantitatem.

IV.

An usuræ omnes in universum jure naturæ & divino prohibita sint, & pro turpibus habeantur, nunc non attinet disputare, neque enim instituti nostri est. Videri de hâc quæstione nobilissimus & Consultissimus Dn. Præses, patronus atque Præceptor meus venerandus in suis observationibus theoretico-practicis, *tit. de usuris num. 5. late*, & summâ cum utilitate potest, & Colerus de processu. *execur. & alij*. Id tamen pro instituti ratione præmittere cogimur, usuras jure Pontificio & censurâ Ecclesiæ Catholicæ penitus damnatas esse, id quod testantur textus, *c. 1. & 2. & 1. tit. X. de usur. & eod. tit. lib. 6.* At quod ad jus Civile attinet, constat usuras hoc jure veluti licitas, intra tamen à legibus constitutum modum admitti. *l. placuit de usur. l. 1. C. eod. l. 3. fin. de ann. leg.*

V.

Non tamen hoc jure ex omni contractu usuræ peti possunt. Usuræ enim in mutuo locum non habent; ratio est, quia mutuum certi conditione repetitur, quæ est stricti juris, ad hoc competens, quod revera numeratum fuit: certum enim est, cujus species vel quantitas, quæ in obligatione



gatione versatur, aut nomine suo, aut ea demonstratione, quæ nominis vice fungitur: qualis, quantaque sit, ostenditur. *l. 6. ff. de rebus cred.* Certi autem hæc conditio dicitur propter certitudinem, quæ quidem & in alijs contractibus est, sed hic exuberanter, vid. Nob. Ampl. Dn. Præs. *in obs. ibe-pract. in fine de rebus cred.* Et licet pactum de usuris mutuo adijciatur, illæ tamen non debentur, *l. 24. ff. de prescript. verb. l. 11. §. 1. de rebus cred.* Ex his videre licet, nihil ultra quàm quod datum est, nec per consequens ex mutuo usuras peti posse.

#### VI.

Si tamen alia res, quàm pecunia mutuo detur, veluti frumentum, oleum, triticum, vinum &c. usuræ ex nudo pacto debentur, idque constat ex *l. 12. C. de usuris.*

#### VII.

Si itaque mutuans pecuniam usuras lucrari volebat, in stipulatum eas deducere cogebatur, *l. 10. §. 4. ff. mandati. d. l. 24. de prescript. verb. & l. 3. C. de usur.* tunc enim eas non ex mutuo, sed ex stipulatu petebat.

#### VIII.

Ratio autem diversitatis, quare ex stipulatione usuræ, quæ aliàs ex solo mutui contractu exigi non possunt, debeantur, cum tamen ex pacto mutuo adjecto peti nequeant, hæc est: quia ex nudo pacto jure civili Romano non datur actio *l. 7. §. 4. & 5. de pact.* quàm tamen vim stipulationem habere voluerunt Romani, ut peculiarem actionem produceret, *101. tit. Inst. & ff. de V. O.*

#### IX.

Cæterùm in bonæ fidei contractibus, si pactum de usuris in continenti adijciatur, id petitionem usurarum producit: quia tale pactum informat actionem, *l. 7. §. 5. ff. de pact.* Et licet tale pactum non addatur in continenti; si tamen

A 3

debitor



debitor in morâ solvendi fuerit, ex eâ usurâ currunt, *l. 2. C. de pos. l. 32. §. 2. ff. de usur. l. 13. C. eod.*

X.

In stricti juris judicijs ex mora quidem usurâ non debentur, si tamen ea committatur, non quidem usurâ, sed id quod interest, moram non fuisse factam, recte petitur. Quod tamen interesse probare creditor non tenetur, sed loco ejusdem indistincte usuras quinquenices petere potest, uti censet Carpz. *part. 2. constit. 30. def. 8.*

XI.

Quin imo hodiè etiam propter mutuum usurâ ex mora debentur, idque non tantum, si in stipulationem deducta fuerint, sed ubi ne quidem promissæ sunt in initio, debitor moram deinceps committente. *Rec. Dep. Spir. anno 1600. §. So viel nun.* Equidem quod ex stipulatione dicuntur deberi usurâ, *in l. 3. C. de usur.* Recessibus Imperij Germanici approbaturum non invenitur, quando id saltem permissum fuit Judæis *in Reform. Imper. Polit. Francof. de anno 1577. tit. 20. quæ §. Und damit, & §. Damit aber/* diserte loquitur, von Ansteyhen (mutuo) und Bucher/ (usuris) Unde in Camera Imperiali ad productum solum contractum murui, in quo usurâ sic promissæ, mandatum S. C. non decernitur, sed stipulatio adjecta pro usuraria habetur: quod etiam de confistorio summo VVirtenbergico affirmat Georg Lud. *Insdenßpür in comm. ad ord. pol. VVirtenb. tit. Von auffnehmens der Gälten / fol. 59.* quia Christianis satis consultum fuit emendis annuis redditibus *d. Reform. pol. tit. 17. §. Und nach dem/ & usuris ex mora petendis d. Rec. deput. de anno 1600 §. So viel nun.* quod approbaturum quoque *in Ord. Pol. Ducat. Cell. tit. 39. inf.* Nihilominus tamen ex novissimâ Constitutione *ad §. de indaganda Instr. pac. §. Anreichende pr.* aliter statutum est, quoniam ibi non solum quinque pro centum  
no-



nōmine censuum permittuntur, sed & ex ratione mutuū  
promissi nomine usurarum; verba habent, sie sein auß wie-  
derkäuflichen Zinsen oder vorgestrecktem Anleihen herrührig  
vnd versprochen: & super instrumentis obligationum talia  
continentibus & productis, per viam paratæ executionis  
procedere concessum fuit. Ita me docuit Nobilissimus &  
Consultiss. Dn. Præses &c. in publicâ interpretatione *d.*  
*constit. ad s. de indaganda.* Cæteroque in plurimis provin-  
cijs Evangelicorum moribus vel statutis inductam & vali-  
dam esse stipulationem de usuris ad legitimum modum ad-  
jectam mutuo, indubium est: quod in illustrib. Ducatib.  
Wolf. & Calenb. Constitutio *anno 1617.* publicata *Von exe-*  
*quierung vntadelhaffter Siegel vnd Brieffe in f. abunde te-*  
*statut.* Quâ cum convenit *Ord. Pol. Archiep. Magd. tit. 45.*  
nuper edita.

XII.

Causa autem quare olim in contractib. stricti juris non  
æque ex morâ usuræ peti potuerint, quàm in bonæf. nego-  
cijs, hæc esse videtur: quia in stricti juris iudicijs Iudex præ-  
cise ex ipso negotio pronuciare tenebatur, & attendere,  
quantum creditori ratione moræ reverâ abesset. At in  
bonæf. contractibus liberior potestas Iudici relinqueba-  
tur decernendi, quid debitorem ex mora præstare credi-  
tori communiter oporteret: in illis iustitiâ exactâ & præ-  
durâ, in his autem benigna illâ & temperatâ id exigente.

XIII.

Usuræ autem ideo permissæ videntur: quia creditor,  
dum ipsi pecunia abest, non lucrum tantum, quod aliõ  
modò ex eâ percipere potuisset, negligit: sed quandoque  
etiam damnum hõc ipsõ incurrit: idque est, quod Ampliss.  
Dn. Præsidi *tit. de usuris num. 2.* dicitur, causam usurarum  
probabile interesse, & quod communiter præsumitur, exi-  
stere debere: nam usuræ æstimant illud incrementum, quod  
medio-



mediocriter diligenti patris. ex tantâ vel tantâ pecuniâ, extra mutui dationem, aliàs accedere potest. Notissimum autem est, ita naturâ comparatum esse, ut res, seu instrumenta vitæ sese augeant & multiplicent: at cum pecuniâ quævis res fructuosè comparari possint, ex quibus mediocriter diligens pateris, substantiam suam per naturam augere potest, æquum visum fuit, illud augmentum compensari quodammodo, quod occasione mutui, & dum in gratiam alterius pecuniâ caret, ex quâ probabiliter aliò modo lucrari potuisset, huic vel illi deest, idque pro conditione personarum determinandum est.

XIV.

Hinc Imperator Iustinianus *l. 26. C. de usuris* diversis hominum generibus diversum usurarum modum præscripsit. Et hic modus tam in usuris ex conventionem, quam ex morâ officio Iudicis debitum observari debet, *d. l. 26. §. 1. vers. Ceteros autem*. Et, si quid ultra hunc modum promissum exactumque est, id omne restituendum vel in sortem imputandum venit, *l. 26. in pr. de condict. indeb. l. 102. §. f. de solut. d. l. 26. §. 1. vers. si quis autem C. de usuris*.

XV.

Quamquam verò in omnibus contractibus, in primis tamen in mutuo strictè modum observari jura civilia volunt. Quibus tamen juribus ut fraus fiat; & ut lateat pravitas usuraria, solet fœneratorum turba simulatos inire contractus, qui usurarij vocantur, & communiter in malam partem accipiuntur pro conventionibus de usuris illicitis, *primò* & improprie quæ accipiuntur in quocunque contractu; *secundò* & magis propriè de usuris, quæ exiguntur ultra sortem in mutuo contra leges. Videatur Consultiſſ. Dn. Præses, *in observat. theoretico-pract. tit. de nav. fœnore num. tertio*.

XV. Est



## XVI.

Est itaque usurarius contractus quando teste, reipsâ  
tamen usuras prohibitas paciscimur; aperte autem & ver-  
bis aliud nos agere simulamus, quò usurâ vel simpliciter,  
vel sub modo prohibita lateant.

## XVII.

Ex hac definitione patet differentia inter contractus  
usurarios, & cæteros, qui contra leges & honestatem fi-  
unt; nam foeneratij contractus non omnimodo rescin-  
duntur & irriti fiunt: sed id, quod verè agitur, sustinetur  
eatenus, quatenus legibus est concessum, scil. ut debitor  
efficaciter ex mutuo ob numerationem pecuniæ ad sortem  
restituendam obligetur. *l. 20. de usur.* videlicet Nobiliss. Dn.  
Præsident *tit. de natur. fan. num. 3. fere infine. Gail. observ. 4.  
n. 6. lib. 2.* Cum enim in rei veritate mutuum contrahatur,  
uti in definitione præcedenti thesi diximus, sitque mutu-  
um contractus realis, etiam ex pecunia numerata revera  
obligationem æstimandam apparet, juxta naturam ejus,  
quod actum est inter contrahentes. Supponendum quo-  
que est, nos agere hîc de contractibus usurarijs prohibitis  
jure civili, Receptibus Imperij, aut statutis & moribus Pro-  
vinciarum particularibus. Nam jus Pontificium, quate-  
nus etiam approbatas alioquin usuras vetat, & pro inju-  
stis habet. *z. 1. de usur.* heic exclusum volumus: neq; enim  
isti contractus injusti sunt, & usurarij dici aliter non meren-  
tur, quàm voce usurâ in bonam partem accepta. Qua-  
tenus itaque jus Canonicum pro usurario habet contra-  
ctum, qui talis etiam esset lege civili, moribus aut statutis,  
istud hûc quoq; in auxilium vocare licebit.

## XIII.

Vt vero singula contractuum usurariorum genera  
percurramus & evolvamus, diversos modos pravitates usu-

B

rariis



rarias occultandi enarrabimus. Cum itaque jure civili  
usura usurarum prohibita sint, *l. ult. C. de usur.* id agunt fœ-  
neratores, ut usuras usurarum lucrentur, nec tam eas acci-  
pere videantur. Deinde, quia in mutuo jure civili certus  
usurarum modus admittitur, vel id efficiunt, ut manente  
mutuo lateat fœnus, vel mutuum dissimulant, & alium  
contractum se inire fingunt.

XIX.

Nam cum jure Canonico in totum prohibita sint;  
*6. 1. & 2. & 101. tit. extra de usur.* jure civili ad certum mo-  
dum concessa, *l. 26. C. de usur.* fœneratores, quò usuras sim-  
pliciter vel ultra modum lucrari possint, in rei veritate pec-  
uniam mutuo dant, certasque usuras stipulantur: ne vero  
pravitas usuraria deprehensa coërceatur, simulant se alios  
inire contractus, in quibus leges aliquam circumventio-  
nem concedunt. Notum quippe est, in contractibus cæ-  
teris, præter mutuum, aliquam inæqualitatem tolerari, ne  
commercia turbentur, ut in emtione venditione, locatio-  
ne-conductione, *l. 22. locat. l. 16. §. 4. de minor. l. 8. §. 1. de bon.  
aur. Iud. poss. l. 8. C. de rescind. vend. cap. 3. & 6. extra de emt.*  
Quod in mutuo non toleratur: quia pretia rerum & ope-  
rum, vel usus rerum variant pro diversitate locorum, tem-  
porum, & personarum res inæqualiter æstimantium (ali-  
ter enim Galeni libros æstimat Medicus, qui his indiget, a-  
liter Crus, qui his opus non habet.) Quare & pretia rerum in  
merum contrahentium placitum collata sunt, Honorat. Leo-  
nard. *quest. 8. num. 4. de usur.* Sed cum in mutui dationibus,  
quæ consistunt in rebus functionem in genere recipientibus  
ob affectionem æstimationis differentia non sit: quia  
nummorum certa æstimatio est, *l. nummis ff. de in lit. jurand.  
l. 42. ff. de fidei.* adeoque hic omnia cessent, propter quæ  
ob bonum publicum licitum est in alijs contractibus se

Cir-



circumvenire: Cardin. Mantic. lib. 4. tit. 20. n. 57. de tac. & amb.  
conv. meritò in mutui contractu aliud, quàm in coeteris ob-  
servatur: idque animadvertentes foeneratores, callidè, se  
alios contractus celebrare simulant, quando in mutuo  
pravitatem usurariam obtinere & exercere satagunt. Ar-  
gent. arr. 206. cap. 6. num. 7. & Roderic. de annuis redit. lib. 2.  
quæst. 3. Et quamvis teste Tacito, fraus hæc foeneratorum  
sæpius repressâ legibus fuerit, miras tamen per artes denud  
orta latè serpsit; nam extrema inopia vel insania ejus, qui  
pecuniam rogat, & insatiabilis avaritia ejus, qui mutuum  
dat pecuniam, leges circumvenit, & circumveniet semper;  
nullumque hominum genus doctius est rumpere, & cir-  
cumvenire leges. Meritò quoque parasitus ille apud Plau-  
tum foeneratores his compellat verbis:

*Rogitationes plurimas propter vos populus scivit,  
Quas vos rogatas rumpitis: aliquam reperitis rimam,  
Quasi aquam ferventem frigidam esse: ita vos putatis leges.*

XX.

Ceterùm, licet foeneratores hisce artibus occultare  
malitiam suam conentur; non tamen semper eorum fraus  
latere potest. Sæpè enim contractus usurarius deprehen-  
ditur. Et primò quidem ex confessione, quæ omnis generis  
probationes superat, cap. per tuas de probat. v.g. si quis in te-  
stamento dicat, se fuisse usurarium: tum enim intelligitur  
ralis semper existisse, ut heres ad restitutionem compelli  
possit, Mantic. d. l. fol. 513. n. 2. Secundò ex testium depo-  
sitione asseverantium, contrahentes aliud simulasse, aliud  
in rei veritate negocium gessisse. Mantic. eodem loc. num. 3.  
& 4. Tertio probatur ex libris rationum ejus, qui usuras  
exercuit, Felin. cap. 2. num. 3. & seqq. de fid. instr. Quarto de-  
nique ex conjecturis & præsumtionibus, quales sunt, quæ  
à jure approbatæ sunt, & quæ sumuntur ex conditione per-



sonarum, & famâ loci, & alijs verisimilibus. Bald. *in consil.*  
*311. num. 12. lib. 5. Cravet. consil. 156. num. 15.* Ratio est, quia  
fœneratores adeo clanculum & fraudulentè contrahunt,  
ut evidentibus rationibus & probationibus convinci raro  
usurariæ pravitatis possint, *clém. 1. §. ceterum de usuris.* Pro-  
inde præsumtionibus locus hic relinquitur, *cap. ad nostram.*  
*de emt. & vend. cap. illo vos de pignor.* Bald. *in l. & qui C. de*  
*distract. pign.*

### XXI.

Adeoque modi deprehendendi contractus usurarios,  
sunt vel artificiales, vel inartificiales. Artificialis modus  
est, qui requirit prudentiam, & per conjecturas absolvitur.  
Inartificiales modos jam enarravimus tres, confessionem,  
testium depositionem, & libros rationum. Sed de his nunc  
non attinet dicere.

### XXII.

Quod autem prudens Politicus, uti summum, & maxi-  
mæ autoritatis atque eruditionis Virum, Dn. Conringium,  
Affinem, Præceptorem, & Patronum meum magnum in  
prælectionibus suis de Civili prudentiâ egregiè differen-  
tem audivi, in vestigare & sibi cognitum facere debet, quid  
quisque Civium seu subditorum velit & possit: num scilicet  
eo animo sint, ut velint, & eâ potentiâ, ut possint Reip. no-  
cere: id quoque non inconvenienter ad nostrum proposi-  
tum accommodare posse videmur, quod nimirum pruden-  
ti Iudici circa negocia privatorum, in primis hæc usuraria  
detegenda, ad communia principia humanarum actionum  
recurrendum sit, num scil. contrahentes voluerint, atque  
etiam potuerint se circumvenire, & usurariam pravitatem  
exercere. Proinde, ut dicamus de artificiô, quò pruden-  
ter, quinam contractus usurarij sint, investigare possimus,  
axioma nobis esto: Quod quis vult, quando potest, facit:  
nam



nam ex eo solo, quod quis potuerit quid facere, nunquam firmiter colligere possumus, quod fecerit: nec ex eo solo, quod voluerit: utrumque ergo concurrere necesse est. Ex hoc igitur axiomate, videmur conjecturas præcipuas circa contractus usurarios detegendos petere posse.

XXIII.

An creditor *voluerit* pravitatem usurariam exercere, ex conditione personæ cognoscitur: si enim creditor avaritiâ laborans solitus fuerit fœnerari, colligimus, quod voluerit usuras capere, unde non debebat, aut quomodo non debebat. Et quamvis hæc personæ qualitas maximum præbere videatur argumentum, ut constat ex *c. illo vos. de pignor.* Quia tamen homines interdû quid præter consuetudinem faciunt, fallit quandoq; hæc conjectura, Mantica *de tac. & ambig. conv. lib. 8. tit. 24. n. 3. inf.* nisi & cætera de quibus mox dicturi sumus, concurrant: licet enim singula non profint, multa collecta tamen juvant, *l. instrumenta. cum Gl. C. de probat.*

XXIV.

Nihil autem interest, si in genere consuetudo fœnerandi probetur, si in specie, seu certo individuo: utroq; enim modo contractus præsumitur in fraudem usurarum initus, *d. c. illo vos. de pign. Bald. conf. 487.* Hinc ille contractus habet fœnoris suspicionem, qui apud fœneratores communiter & maxime in usu est, non vero à viris gravibus & bonis fieri solet. Mantica. *d. lib. 8. tit. 24. num. 2.*

XXV.

Alterum, an creditor *potuerit* in fraudem legum fœnus illicitum clam exercere, ex utriusque, cum debitoris, tum creditoris personâ colligi potest: nam si creditor rusticus vel minor fuerit: ob simplicitatē ejus, tale fœnoris exercitium non præsumitur: Mantica. *lib. 8. tit. 25. num. 11.* quia licet fortasse voluerit, non tamen potuit, præsertim si debitor



prudens fuit. Quod si verò creditor astutus extiterit homo; debitor simplex, & egens æris, non sine ratione concluditur eum potuisse. At quia & hîc multa intervenire possunt, ut fraudes non procedant, non etiam satis tuiò semper ex his concludere licet, creditorem potuisse.

XXVI.

Hactenus explicatum, quid primum omnium inspicendum sit ei, qui de contractu, an usurarius sit, nec ne, judicare vult. Quia vero ea quæ arguunt aliquem voluisse & potuisse fœnerari, non satis firma semper sunt, etiam ad alia progredi debemus, quibus cum prioribus concurrentibus, firmitus iudicium facere possumus. Fluunt autem hæc ex prædictis. Nam qui volunt certum finem, si putant se eundem obtinere posse, etiam eligunt ea, quæ ad finem obtinendum faciunt. Volunt autem fœneratores fœnus improbum legibusque prohibitum exercere ita, ut malitia eorum latere possit, *clem. 1. §. ceterum. de usur.* Quare & si de aliqua persona præsumtiones sint, quod voluerit & potuerit fœnus improbum clam & in fraudem legum exercere, confirmabuntur eæ, si appareat ejusmodi personam elegisse media, quibus talis finis obtineri potest. De his verò medijs diximus generaliter thesib. 18. & 19. quæ proinde nunc specialius consideranda erunt.

XXVII.

Ex numero *mediorum*, quibus fraudes suas obtinent usurarij, præcipuum est *disimulare mutuums & negotio tribuere aliud nomen*, *Mantic. de rac. & amb. conv. lib. 3. tit. 28. num. 16. & 17.* quo alius contractus actusve celebratus videatur. Ut autem, qualiter hoc medio utantur fœneratores, pateat, singuli contractus, sub quibus simulatis latere usuras, vel in totum, vel supra modum prohibitas posse putant, enarrandi sunt, initio factò à realibus contractibus.

XXIIX.



## XXIIX.

Et ut à deposito incipiamus, fieri hic contractus usurarius potest, si per statutum in totum prohibita sint usurae in mutuo: notum quippe est, ex pecuniâ depositâ usuras deberi *primò* ex mora *l. 2. §. 3. C. de pos.* sive quis interpellatus depositum reddere abnuat, sive inscio & invito domino pecunia deposita usus sit, *l. 4. C. eod.* *Secundò* ex pacto adjecto: quamvis quodammodo hoc negociû fines depositi excedat, *l. 24. D. de pos. §. 26. §. 1. eod.* Quod si itaque, quæ de voluntate & potestate diximus, congruant, & apud indigentem & mutuum pecuniam quærentem quis ita pecuniam deposuerit, ut si usus fuerit depositarius pecuniâ, usurarum nomine quot annis certam pecuniam solvat, contractus depositi usurarius, id est, simulatus præsumi potest.

## XXIX.

Commodari contractum vix ad ejusmodi fraudes committendas adhibere possunt, nisi quis putet mutuum latere posse, si simul et quis se ad pompam & ostentationem commodare, *l. 3. in f. cum ll. seqq. commòd.* cum hoc pacto: ut si commodatarius abutatur, usuras solvat.

## XXX.

Contractus emtionis venditionis præ cæteris, ut fraus fiat legibus, adhiberi solet. Scopus tamen contractus, & tacitum mutuum, quod latet, vel ex ipso negotio gesto, vel ex consequentibus emtionem-venditionem addiscitur. In ipso negotio ponderanda est *primò* occasio, *Secundò*, Natu contractus, deinde & perpendenda pacta adjecta. Nam pacta non frustra adijciuntur contractibus: Contrahentes enim sanæ mentis esse præsupponuntur, qui constantem memoriâ, scientes volentes, & ad certum finem agunt: nullus autem hominum, qui sanæ mentis sunt, quicquã frustra facit. Hinc si pactum adjectum frustra foret, nisi contractus



tractus esset simulatus, & tacitum in rei veritate subesser  
mutuum, usurarius præsumitur, accedentibus præsertim  
ijs, de quibus supra dictum.

X XXI.

Plerunque vero, mutuum tacite contrahitur sub spe-  
cie emtionis - venditionis, cum pacto de retrovendendo:  
nam mutux pecuniæ nomen pretij; rei pignori datæ no-  
men rei venditæ fœneratores imponunt. Cum enim in  
emtionem - venditionem concessum sit, ut alter alterum cir-  
cumveniat, ut supr. diximus th. 19. ne ex pignore videantur  
ultra modum usuras percepisse, simulant rem venditam  
esse cum pacto de retrovendendo. Quando itaque talis  
conventio intercessit, ut venditori rem venditam redimere  
non liceat, nisi certo temporis spacio elapso, interea vero  
fructus in sortem non computentur, sed titulo donationis  
forte ad emtorem devolvantur, usurarium præsumere con-  
tractum licet: nam pactum de fructibus supervacaneum  
hîc foret, nisi contractus simulatus esset, quia absq; tali pa-  
cto nihilominus emtori fructus accessuri essent, l. 2. C. de pact.  
inter emt. & vend. Mantic. de tac. & amb. conv. lib. 8. tit. 20 n. 13.

X XXII.

Pertinet huc etiam casus v. g. si venditioni pactum de  
retrovendendo adijciatur, & pars rei vendatur, altera done-  
tur, nulla vero merita allegari possint, ob quæ donatio fa-  
cta colligatur, Bald. consil. 311. n. 2. lib. 3. Cavalcan. consil. 156. n. 9.  
Crav. consil. 156. n. 9. Menoch. 3. præf. 122. num. 61. & seqq. Ber-  
lich. p. 2. c. 1. n. 41. Huc referri potest & casus, quando in  
emtionem venditionem cum pacto retrovenditionis conve-  
nit, ut si venditor redimat, teneatur emtori restituere ga-  
bellam, & alias impensas, quas occasione contractus istius  
fecit. Abb. consil. 76. num. 2. lib. 1. Capol. de simul. contract.  
presumt. 6. tale enim pactum non frustra videtur apposi-  
tum



rum; quia emtor existimatur hoc unice egisse, ne minimum etiam lucrum sibi elabatur. Tiraquell. *de retract. convent. §. 6. glof. 2. num. 24.* Coler. *consil. 39. num. 60. & seqq.* Menoch. *3. pras. 122. num. 75. & 59.*

### XXXIII.

Conducit etiam ad dignoscendos contractus usurarios hæc regula: Nimia cautio ab emtore adhibita facit præsumi usurarium contractum: ubi enim major metus periculi, ibi plus cautionis homines adhibere solent: majus autem metuunt periculum, si contractus sit simulatus, & in fraude usurarij versentur. Hinc si pacto de donatione fructuum, cujus præc. th. mentionem fecimus, juramentum à parte venditoris accedat de non revocanda donatione, suspicio augetur. Corn. *consil. 23. num. 7. & 2. lib. 3.* Ern. Cothman. *1. consil. 9. num. 174.*

### XXXIV.

Est & aliud dogma, quò mediante usurarios contractus, non aliter ac asinus ille Æsopi ex auriculis à vulpeprehendebatur, dignoscere possumus. Dogma autem hoc ex hisce fundamentis dependet: Uti singuli contractus certam habent naturã, ita quoq; pacta sua, quæ ijs adijciuntur: pacta quippe dant legem contractibus. *l. 7. §. 5. & seqq. ff. de pact. & l. 24. in f. ff. de positi.* Hinc si pactum insolitum addi contractui emtionis-venditionis, consueverit accedere mutuo sub usuris, indicium est, emtionem venditionem simulatam esse, ac proinde contractum pro usurario habendum. Casus talis esto: Titius vendit Mævio fundum pro vili pretio, cum pacto retrovendendi. Mævius hoc pactum addit, ne teneatur retrovendere, nisi retrovenditionem denunciatio annua, aut majoris temporis præcedat. Hoc pactum arguit contractum simulatum esse: Rim. Jun. *consil. 433. n. 10.* quia foeneratores sub usuris mutuum pecuniam dantes solent

C

ejus-



eiusmodi pacta addere, quò mature sibi de alijs, quibus sub  
fœnore pecuniam credant, prospicere possint.

XXXV.

Par ratio est, si alia insolita fiant in emtione- venditio-  
ne, quorum ratio nulla reddi possit, quare ita fiant, v. g. si  
venditor totò tempore, quò potuit rem redimere, in pos-  
sessione permansit: Bald. *conf. 311. num. 6. lib. 5.* aut si consti-  
tuit emtoris nomine possidere. Bart. *in l. sicut §. supervacu-  
um. num. 5. in fin. & Bald. d. loco.* Secus est, si fortasse venditor  
possessionem ex causâ conductionis ex intervallo factâ reti-  
neat, Roman. *in conf. 74. num. 3. & Imol. in c. ill. vobis. num. 10.  
de pignor.* tunc enim causa constituti possessorij apparet. Ubi  
tamen iterum notandum, si in continenti conductio fiat,  
suspicionem iterum emergere posse.

XXXVI.

*Consequentia* emptionem- venditionem, ex quibus sci-  
licet cognoscere possumus, revera emtionem- venditionem  
non intervenisse, concernunt officium vel emtoris, vel ven-  
ditoris. Quale autem sit cuiusque officium venditione per-  
actâ, ex naturâ & essentiâ emtionis- venditionis apparet.  
Venditoris officium est, jura dominij in emtorem trans-  
ferre: si hoc non fiat, contractus usurarius est. Itaque si ven-  
ditor suo nomine onera rei venditæ persolvit, colligitur,  
jura dominij penes venditorem permansisse, nec verum,  
sed simulatum emtionis- venditionis contractum interven-  
nisse *l. 26. §. interdicitur C. de usur.* Bald. *conf. 438. num. 1. lib. 5.*  
Carpz. *def. for. part. 2. const. 30. def. 25. & eadem part. 2. const.*  
*30. d. 1* Facit enim hic venditor, quod aliàs emtori incumbere-  
ret, si contractus non esset simulatus. Indicium ergo est,  
mutuum subesse, nec rem cum pacto retro venditionis ven-  
ditam, sed tantùm pignori datam esse. Matth. Coler. *conf.*  
*27. num. 27. sub fin. & conf. 28. num. 83. & seqq.* Joach. Mynf.



§. c. 70. num. 1. & seqq. Menoch. 3. pr. af. num. 122. & num. 119. & seqq. Vid. de clausulis insolitis, ex quibus contractus usurarius censeri possit, Berlich. p. 2. concl. 1. num. 27. & 177.

XXXVII.

Ex emtotis officio similiter indicia petere possumus. Nam solet emtor bona emta consignare, perlustrare, & curam earum habere, & hoc agere, ut notitiam bonitatis singularum partium habeat. Itaque si hæc negligat, nec de bonis emtis, deque bonitate & valore ipsorum se informare patiatur, haud levis inde conjectura emergit. Capol. de simul. contract. presumpt. 18. Afflic. dec. 40. num. 19. Menoch. 3. pr. af. 122. num. 85. & seqq. & cons. 109. num. 21. Hujusmodi quoq; est, si in contractu est adjectum, quod pendente termino retrovenditionis non emtor, cui res cum pacto retrovendendi vendita est, sed ipse venditor debeat sustinere periculum & interitum rei venditæ, contra l. 31. de act. emt. Coler. consil. 29. num. 7. & seqq.

XXXIIX.

Ex essentiâ emtionis venditionis etiam indicia petere possumus. Nam ad essentiâ contractus hujus requiritur primò pretium secundò merx. Ubi igitur nulla merx est, ibi cessat emtio venditio. Merx nulla est, quam venalem vix quisquam habere potest, v. g. si res vendita sit avita, & venditor habeat alias res, quas vendere potuit: non enim verosimile est, voluisse venditorem hæc bona reverà vendere, sed pignori potius obligare: nam propter affectionem talia bona non solemus venalia habere, l. si in emtione. de minor. l. lex qua tutores. C. de adm. rur. Capol. de simul. contract. presum. 15. Tiraq. de retract. convent. in pr. af. num. 37.

XXXIX.

Pretium nullum est, si in emtione venditione cum pacto retrovendendi pecunia tam vilis sit, ut æstimare mer-



zem nequeat. Hinc nimia pretij vilitas, modo alia accedant indicia, de quibus thesi 22. & seqq. diximus, aliquod præbet indicium. *Carpz. parz. 2. def. forens. constit. 1. def. 2.* Modicum autem hic pretium intelligi volunt, quod vix dimidiam iusti pretij partem efficit & exæquat. *c. ad nostram. de emt. vend.* Ad tertiam verò partem iusti pretij accedens læsio ita contractum annihilare intelligitur, si detracta fuerit æstimatio pacti in venditione de retrovendendo, *Abb. in c. ad nostram num. 12. de emt. & vend.* quoniam illa pars pretij putatur, *l. fundi partem ff. de contr. emt.* Quamobrem ut pretium exiguum cum pacto revendendi concurrens, usurarium contractum præsumere faciat, magnâ læsione opus est, ita ut vix ad dimidium iusti pretij ascendat, *d. c. ad nostram. de emt. vend.* nam pactum deminuit pretium paulominus tertiâ parte, *Decian. conf. 2. n. 173. lib. 1.* Si vero læsio non sit tam enormis, infra dimidium scilicet, opus est, ut pactum venditioni adjectum nimium à natura emtionis venditionis recedat, & aliæ conjecturæ præterea accedant. *Mantic. d. lib. 8. tit. 20. num. 57.*

**Occasio contractus** haud leve indicium præbet, v. g. si quis mutuaturus pecuniam prædium pignori supponere voluit; postea cum hæc conditione mutuum pecuniam consequi non posset, illud vendidit pro eâ quantitate, quâ sibi mutuo dari quærebat, cum pacto retrovendendi, *Paul. Castrenf. in conf. 199. num. 1. lib. 2.* *Crav. conf. 156. num. 13.* modo aliæ circumstantiæ concurrant, si sc. pretium sit exiguum, & solitus, aliàs sit emtor scenerari &c. *Bald. in l. emtionis. 3. C. plus valet quod ag. pr. Berlich. cum plurimis citatis p. 2. c. 1. num. 10.* Idem obtinet, si instrumentum contractus sæpe sit revocatum, & primò contractus mutui est celebratus: in secunda renovatione omisâ voce mutui tantum dicitur.



quum fuit de emtione venditione cum pacto de retroven-  
dendo: in tertiâ vero & quartâ revocatione iterum facta  
mentio contractus mutui vel alterius. *Math. Coler. consil.*  
*28. num. 77. & seqq.* Contractus namque intermedius semper  
regulatur secundum priores & posteriores, *s. inter dilectos.*  
*de fid. instr. ibique Felin. Sanda. n. 5.*

XLI.

Nullum genus emtionis venditionis est, in quò faci-  
lius implicetur fœnus, quàm in emtione annuorum redi-  
tuum, *Leotard. de usur. quest. 8. num. 34.* præsertim si pre-  
tium exiguum admodum sit. Variant autem sententiæ,  
quid nam justum pretium hic censei debeat. Nonnulli  
æstimationem diversam ponunt, ratione securitatis, quam  
in re, ex quâ redibus solvuntur, habent. *Mantic. lib. 8. tit.*  
*22. num. 10. in fin.* Ad præsumtionem fœnoris in hoc con-  
tractu facit & illa conjectura, si pactum fiat, ut emtor possit  
pretium repetere, & pro suo lubitu à contractu recedere.  
Hoc enim naturæ emtionis repugnat. Similiter præsum-  
tionem præbet, si annui reditus redemptio in voluntatem  
venditoris hac lege collata sit, ut majori pretio, quam con-  
stitutus fuit, exstinguatur. *Covar. var. res. lib. 3. cap. 9. num.*  
*4. Corrad. de contract. quest. 84. concl. 4.* Alijs conjecturis ac-  
cedentibus etiam fœnoris suspicio in emtione annuorum  
redituum oritur, si emtor solitus sit fœnerari: voluisse enim  
tunc præsumitur: item si venditor emtori jurare coactus  
fuit, quod de læsione nolit conqueri: nimia enim cautio  
hic ab emtore adhibetur: & pertinet hic casus ad regulam  
thesi 33. traditam: item si emtor sibi velit donari id, in quan-  
tum venditor læsus est: nam hoc pactum hic superfluum  
foret, nisi simulatio & tacitum mutuum subesset, uti di-  
citur thesib. 30. & seq.

XLII.

Census vitalitius in usurariam pravitatem degenerare:



facile potest, si scilicet injusto pretio constituat̄ur, & præ-  
sertim cum fors non amittitur, sed repeti potest: seu cum  
pactum additur, ut post mortem de pretio aliquid heredi-  
bus reddatur: reditus enim hic sortem absumere debet,  
dum pro ea velut pretium solvitur, cum usuræ sorte salvâ  
petantur: Quare si pretium emtori aliquando restituen-  
dum est, non emtio, sed fœnus contractum esse intelligitur,  
*l. 2. in pr. ff. si cert. pet. Roderic. de ann. redit. lib. 1. quest. 5. num.*  
*5. Cencius de censib. quest. 10. num. 26.* Constat alioquin cen-  
sum vitalitium licitum esse contractum, & ab usuraria pra-  
vitate alienum, si pro certa pecunia reditus certi ad vitam  
comparentur. *Gail. 2. obs. 8.* dummodo pretium respondeat  
& æquale sit pensionibus. Et hoc quoque probatur ex  
*elem. 1. de reb. Eccles. non alienand.* quæ permittit Prælato,  
Ecclesiæ necessitate id exigente, emolumentum prædij a-  
licujus pro pecunia alteri ad vitam concedere. Quin etiam  
emtio ususfructus alicujus fundi valida est, *l. 8. in fin. ff. de*  
*peric. & com. rei vend. Covar. var. resol. lib. 3. cap. 8. num. 7. E.*  
& emtio reditus annui ex alterius prædio. Quantô verò  
pretiô census iste constitui debeat, generaliter determinari  
nequit, siquidem hoc arbitrio boni viri, pro diversitate e-  
mentium, cujus valetudinis & ætatis sint, æstimari debet,  
*Covar. var. res. lib. 3. cap. 9. num. 7. Molin. in disp. 388. num. 6. &*  
*Magnif. Dn. N. evius discuss. levam. deb. c. 4. n. 38.* Est vero cen-  
sus vitalitius duplex, realis & personalis. *Molin. disp. 388.*  
*num. 4.* Realis est, qui ex certo prædio vel fundo percipi-  
tur, cujus fructus pensioni sufficere debent, *Sigism. Scaccia*  
*de commere. quest. 1. num. 242.* Personalis est, qui non inni-  
titur rei cuidam fructifera, ex quâ percipi possit, sed con-  
stituitur in personâ, cum hypotheca bonorum, vel sine  
illâ. *Molin. disp. 388. num. 4.* In reali censu vitalitio domi-  
nus census duplex periculum sustinet, vitæ nimirum & per-  
emtio-



Emtionis rei, ex qua reditus petuntur: quemadmodum enim usufructus, qui rei cohæret, eâ peremptâ, tollitur *l. 2. ff. de usuf.* & morte usufructuarij, ita etiam vitalitius census, qui rei innititur, quoque finit. *Cencius de censib. quæst. 99. num. 23.* At in censu vitalitio personali periculum utriusque contrahentis æquale est, quoad lucrum & damnum. *Covar. var. resol. lib. 3. cap. 7. num. 3. Gail. obs. lib. 2. obs. s. n. r. Molin. disp. 388. num. 4.* Quare pro diversitate periculi pretium in censu vitalitio personali & reali diversimode statuendum & taxandum videtur, idque tenet *Molin. dict. disp. num. 5. & seqq.*

### XLIII.

Emtioni proxima est in solutum datio, quæ sæpe quoque pravitare usurariâ laborat, si facta sit à debitore, cum iniquò tempore illum ad solutionem creditor urgeret: præsumitur enim inita fuisse, ut creditor interim fructus percipiat, & debitor rerum suarum distractionem non patiar. Quæ tamen causâ sola sufficiens non est rescindendi aut improbandi contractus, *l. non idcirco, C. de resc. vend.* Sed aliæ conjecturæ præterea accedere debent, quæ petuntur vel ex facto redimendi, ut colligitur *ex cap. ad nostram. de emt. vend. & c. illo vos. de pignor. vel ducuntur ex alijs pactis, quæ pignori magis, quam dationi in solutum competunt. Surd. in consil. 243.* Denique ex iisdem fere locis, quibus urimur ad detegendam venditionis simulationem, in dignoscendò hóc contractu, an usurarius sit, progredi possumus: quia & datio in solutum venditio est, & venditioni similis *l. eleganter. ff. de pignor. act. l. licet. pro emtor. l. 9. C. de evict. & l. 46. ff. de solut. præsertim si modicum pretium appareat. Mantie. fol. 526. num. 1. usq. ad 6um.* Hinc si locetur res statim, vel paulo post dationem in solutum, ipsi debitori, indicium simulatæ venditionis oritur maximum. *Mench. cons. 283.*

num.



num. 9. non videtur enim omnino rem vendidisse, qui possessionem ejus semper retinuit, & percepit fructus. Et hanc presumptionem auget illud, si pensio potius respondeat pecuniæ creditæ, quàm fructibus rei; id quod aliàs, alijs indicijs non concurrentibus, per se suspicionem fœnoris inducit. Caroc. de locat. conduct. tit. de usur. quest. 3. num. 1. Idemque est, si alia insolita fiant, v.g. si creditor rem tertie personæ locat, & hæc pro eadem pensione iterum venditori, ubi multo magis ob interventum tertie personæ fraus & simulatio arguitur. l. vir. uxori. in f. ad S. C. Vellei. l. pupillus §. sed et si. ff. de aur. tutor. & l. ult. C. mandat. Mascard. de probat. concl. 442. num. 1. 2. & 13. Ita enim naturâ comparationibus & involucris occultare, eò magis manifesta fraus fiat, & detegatur veritas. Cravett. consil. 156. num. 11. Cessantibus igitur conjecturis & presumptionibus fraudis, datio in solutum, quæ ex verâ debiti quantitate procedit, licet injusto pretio facta sit, rescindi & revocari non potest. Mantie. lib. 8. tit. 23. num. 4. quia licet contrahentibus in pretio se decipere l. in cause. §. pen. ff. de minor. l. 21. §. ult. ff. locat. & quia datio in solutum venditioni est similis, remedium l. 2. C. de rescind. vend. in eâ locum habere non inconvenienter dici potest. Cæterùm si datio in solutum pro majori summa, quàm verè debeat, fiat, omnino vitatur & corrumpitur. Tiraq. de retract. consang. §. 23. gl. 1. num. 26. Sed hæc iudicis arbitrio & prudentiæ committenda sunt, qui per pensis circumstantijs rerum & personarum, clausulis item & pactis instrumenti, si quod factum est, arbitrabitur, an debitor rem se abdicaverit, vel ab initio, vel ex intervallo, & creditor illam, uti suam, ac veluti in patrimonium suum redactam possederit. Leotard. de usur. quest. 12. num. 12. Covar. var. resolut. lib. 3. cap. 8. num. 5.



XLIV.

Sub locationis & conductionis contractus nomine pravitas usuraria in mutuo latere potest; si quis v. g. ob festinatam pensionis solutionem prædium vilius conducatur. Cavalcan. *in dec. 32. num. 67. lib. 2.* Molina *disp. 501. num. 6.* Ugo-  
 lino. *de usur. cap. 54. num. 1.* Id fieri solet, quando fœneratores redditus & vectigalia Civitatum vel Principum, quos egestas & necessitas æris alieni premit, vilius conducunt, quàm sit justa pensio, ob anticipatam solutionem unius vel plurium annorum. Navarra *de usur. num. 27.* Si enim id, quod de pensione detrahunt, excedit modum legitimarum usurarum, indicium est, contractum usurarium existere. Idem est, si propter mutuum plus mercedis quis accipiat, vel minorem solvat. Mantica *de rac. & ambig. convent. lib. 8. tit. 18. num. 19.* Detestabile sane & usurarium maximè illud, commercij genus est, in quò quis à rustico oves vel boves emit, statimque ei iterum locat pro certâ mercede, sciens illum talia non habere, neq; ijs carere posse: hic enim nulla res intervenit: quare hæc emtio & locatio imaginaria est, *l. nec emtio. & l. damnum. de contrab. emt.* nec pro facta habetur: unde fit, ut mutuum hîc ex numeratione duntaxat contrahatur, & per consequens pensio vel merces hæc fœnus sit, & turpe lucrum, ut docet Navar. *in summ. c. 17. num. 229. & in comm. de usuris, num. 79.* Molin. *disp. 372. num. 3.* Ugo-  
 lino. *de usur. cap. 38. num. 1.*

XLV.

Sub nomine societatis pravitas usuraria latet, cum quis v. g. mercatori certam pecuniæ quantitatem dat eâ lege, ut nullum periculum ipse sustineat: lucrum vero, modum usurarum superans, ad eum perveniat. Mantica *de rac. & ambig. convent. lib. 8. tit. 18. num. 11.* Mandati contractus non ita facile fœnus & racitum mutuum velare possit  
 D videtur;



Videtur; quia ex officio amicitiae hoc negotium proficiſci-  
tur, *l. 1. ff. mandat.* niſi forte mandans pecuniam ſe dare ſi-  
rouler, ut emat mandatarius merces, vel annuos redditus;  
vel mandatario exigendi facultatem à debitoribus ſe con-  
cedere, quò forte pignus redimat, reverà autem inter ut-  
rumque actum ſit, ut mandatarius eam in uſus ſuos con-  
vertat, quò mandans hâc arreptâ occasione agere poſſit ad  
id, quod ſuâ intereſt, rem non eſſe emram, vel pignus non  
liberatum. *Leotard. queſt. 33. num. 12. de uſur.* Ex quibus pa-  
tet, mandatum hîc non contrahi, ſed mutuum potius, &  
colorem fœnori tantùm quaeri. *l. ſi pro mutua. C. ſi certi. petat.*

#### XLVI.

Hactenus, quâ ratione mutuum diſſimulent, & ſub  
ſpecie aliorum contractuum fœneratores pravitate uſu-  
rariam exerceant, dictum eſt. Nunc paucis quoque mo-  
nendum, quomodo non diſſimulatô mutuo ſinem ſuum  
occultare malitioſè ſoleant. Fit hoc *primò* per antichre-  
ſin, quando loco uſurarum fructus pignoris, modum uſu-  
rarum longe excedentes percipiuntur. *Secundò*, ſi inſtru-  
mentum conficiatur, quod teſtetur, majorem ſummam  
numeratam eſſe, quàm revera fuit, v. g. ſi 800. mutuo data  
ſint, & in inſtrumento 1000. ponantur, quò 50 quot annis  
creditori inde pendantur, atque hic adeò uſuras 20 illorum  
nomine, quæ retinuit, nec mutuuario dedit, lucretur: *ter-  
tiò*, ſi uſuris tribuatur poenæ nomen; ut ſi in mora fuerit de-  
bitor, poenæ nomine ſolvat, quod uſurarum modum ex-  
cedit. *l. 44. de uſur. l. 15. & 16. C. eod. quartò*, ſi lex commiſſio-  
ria pignorum mutuo addatur, & deniq; multis alijs modis.

#### XLVII.

Eſt quidem contractus antichreſicus jure civili con-  
ceſſus, tanquam mutuus pignoris uſus pro credito, cujus  
vi creditor pignus retinet, & vice uſurarum fructus capit,  
donec



donec illi debita pecunia solvatur, *l. 14. & 17. C. de usur.* Al-  
ciat. *lib. 2. dispunct. c. 3.* Nihilominus tamen, si modus usu-  
rarum nimium excedatur, non sustinetur, *arg. d. l. 7. C. de*  
*usur.* Quanquam verò non desint viri docti, negantes, anti-  
chresin contractum dici usurarium posse, propterea quod  
in aliud genus contractus, nimirum locationem conducti-  
onem transcat, quorum in numero est Anthon. Faber, *de*  
*error. pragmat. decad. 9. c. 1.* non tamen eorum opinioni sub-  
scribere tutò possumus: quia merces est pecunia æstimans  
fructus: at fieri potest, imò sæpe fit, ut fructus longè supe-  
rent usuras, nec ab ijs æstimari possint.

XLIX.

Hinc ubi legitimus usurarum modus permittitur, cre-  
ditor fructus facit suos, vice & loco usurarum, eosque per  
retentionem pignorum sibi servat ad eum modum, qui  
legitimis usuris præscriptus est, *d. l. 14. & 17. C. de usur. l. 1. §. 3. ff.*  
*de pignor. l. 8. ff. in quib. caus. pign. tac. contrab.* Ubi verò u-  
suræ non tolerantur, hic contractus pro usurario habetur,  
adèò ut creditor non consequatur amplius, quàm quod  
solvit, sed quicquid ex rebus debitoris habuit, sorti impu-  
tet, Duaren. *cap. 1. de usur. & Cujac. c. 1. de feud.*

XLI X.

Quin imò usuræ, quæ beneficio antichresis accipiuntur,  
nonnunquam usurarum fines legitimos excedunt. *d.*  
*l. 14. C. de usuris* propter incertum nimirum fructuum pro-  
ventum, *d. l. 17. eod.* nisi cum vel tacite pignus contrahitur,  
*l. 8. ff. in quib. caus. tac. pign. contr.* vel cum res pignori suppo-  
sita locatur, *d. l. 14. C. de usur.* & ita bene distinguendum est  
inter tacitam & expressam antichresin: quoties enim pi-  
gnoriager traditur, & nihil dicitur de fructibus vel usuris,  
tacitè videtur conventa antichresis, Cujac. *8. obs. 17.* Videatur  
etiam dissertatio sub Excell. Dn. Præs. habita *de usuris &*  
*contractibus usurar. sb. 107.*



## L.

Cæterum quod ex pignore simpliciter datò perceptū est fructuum, si retineatur, nec in fortē impuretur, quod fieri debet, illud totum usurarium est, *arg. l. 1. & 2. C. de pign. act.* cum etiam creditor hoc casu non solum quos percipit, verum etiam, quos percipere debuit fructus, in rationem exonerandi debiti computare necesse habeat, *l. 3. C. de pign. act.* nisi venditio, aut datio in solutum facta appareat, *Leotard. de usur. quest. 12. num. 5.* quæ tamen etiam nullius momenti est, si æstimatio rei in solutum datæ excedat nimis pecuniam numeratam: tunc enim in fraudem usurarum facta intelligitur, præsertim si & aliæ conjecturæ concurrant, uti postea dicetur. *Mantic. de sac. & amb. conv. lib. 8. tit. 23. num. 3.*

## L I.

Lex commissoria in pignoribus hodiè locum nullum habet, *l. 3. C. de pact. pign. & l. 4. C. de act. pign.* Recess. Imp. de anno 1577. tit. 20. præsertim si mutuum dedit causam contractui: præsumitur enim tunc hic contractus usurarius, & maximè si præterea debitor enormiter læsus sit, & aliàs creditor scenerari solitus, *Carpz. part. 2. constit. 30. def. 43.* Venditio autem pignoris sub pacto revenditionis celebrata valida est, sed tum demum, si ab omni pravitate usurariâ remota sit, quæ adesse non creditur, si sola mutui occasione contractus factus sit: nimia enim pretij modicitas præter hanc apparere debet, *Carpz. def. for. part. 2. constit. 30. def. 43. & 44.*

## L II.

Hic tamen distinguunt Dd. num lex commissoria ab initio contractus, an vero ex intervallo adjecta sit: hoc enim casu retineri à creditore pignus posse ajunt, debitoreque agente per exceptionem eum tutum esse: nullâ enim necessitate premi videtur debitor, qui pecuniam jam ha-

b et.



Bet. Bart. in l. Titius. ff. de pign. act. Mantic. de rac. & amb.  
conv. lib. 11. tit. 10. num. 2. & 6. Capoll. caut. 247. num. 1. Alij  
verò sententiam hanc improbant: inter quos est Covar.  
var. resol. lib. 3. cap. 2. num. 8. & multi alij: quia avarus credi-  
tor, qui nullam lucri occasionem elabi sibi patitur, etiam  
hoc casu debitorem in angustias redigere potest, simulando,  
se velle cum coram iudice urgere ad solutionem, vel  
postulare, ut ex Edicto bona possidere liceat, & decurre-  
re ad extrema inimicissimaque debitori jura. Mudæus lib.  
de pignor. tit. de lege commiss. num. 23. Verùm ego puto, cum  
asyla debitorum hoc tempore inventa sint, multique eor-  
um beneficio competentia gaudeant, quibus adversus  
creditorum asperitatem & rigorem satis muniti sunt debi-  
tores, hoc casu usurariam pravitatem non ita facile exer-  
ceri posse. Quod si ita conventum sit, ut pignora, nisi præ-  
stituto tempore pecunia solvatur, justo pretio æstimanda,  
emta sint: item si concurrat pignus, quoad æstimationem,  
cum pecuniâ, quæ debetur, manifestum est, nullam capti-  
onem debitoris subesse, præsumtionemque fœnoris, ex-  
cludi. l. 26. §. ff. de pignor.

LIII.

Meritò quoque hoc genus legis commissoriae, quod ra-  
men non uno loco receptum videmus, improbatum, quò  
creditors pignora à debitoribus accepta post finem v. g.  
anni, nisi solvant, distrahunt, & vel simpliciter sibi ea ven-  
dicant, vel ex venditione illorum omnia servant, nec quæ  
sortem & usuras superant, debitoribus restitunt: sufficere  
namq; illis debebat sors & usura promissa, vid. Iodoc. Dam-  
thouder. de sabbas. cap. 3. num. 38. Alia ratio est, si forte Ci-  
vitas, seu municipium ab alijs mutuam sumat pecuniam,  
& vel Civibus, vel etiam alijs æris egentibus sub aliquantò  
gravioribus usuris, & acceptis pignoribus eam concedat,



Hoc enim casu, nisi debitò tempore pecunia solvatur, merito distractionem pignorum debitores patiuntur: quia Civitas ipsa pecuniam sub usuris ab alijs mutuari cogitur, nec semper invenit, quibus eam sub usuris credere possit: interim tamen semper usuras pendere cogitur: ex quò facile ipsi damnnum emergere potest, dum hæ usuræ sæpe pretium rerum oppigneratarum superare possunt, debitore in morâ solvendi existente. Æquum itaque est, ut per distractionem pignorum se indemnem servet, cum non lueri causa, sed ut indigentia & necessitati aliorum subveniat, mutuum det pecuniam; quamvis & hic moderatio adhiberi debeat.

LIV.

Huc pertinet etiam, si frumentum, vinum, oleum, vel alia res fungibilis mutuo detur: interim majori ea aestimetur pretiò, quàm quod revera recipiunt, v. g. Titius à Mævio tot vel tot amphoras vini, olei &c. accipit mutuo, hæc conditione, ut totidem, & insuper quartam partem in eodem genere amplius reddat; aut si pecuniam pro ijs solvere velit, pretium quartam partem excedens illud ordinarium, quò aliàs emi possunt, dare teneatur. Idem est, si certa pecuniæ quantitas mutuo concedatur, hoc pacto, ut frumentum vel vinum multò majori pretiò aestimabile reddatur, quod prohibitum est. *l. 16. C. de usur.*

LV.

Item, si quis alij mutuet pecuniam sub legitimâ usurarum quantitate; accipiat vero à debitore ultra istas usuras, fortè alicujus officij præstiti vel præstandi nomine magna salaria atque stipendia, quæ edusque solvere tenetur debitor; donec plenè satisfecit. Item si quis alicui mutuum det eâ lege, ut jure permissas usuras ejus nomine solvat, & insuper tantò vel tantò tempore aliquoties aret, vehat &c. vel alia servitia per se, aut per suos præstet, quoad debitum red-



reddiderit. Illud quoque insignem malitiam foeneratorum arguit, si loco certæ pecuniæ mutuo dandæ assignentur alicui equi, boves, vaccæ, & id genus alia, majori, quàm valent, pretiò æstimata, ex quibus tamen ne dimidium quidem istius pretij debitor redigere potest: interim tamen usuras conventi pretij solvere tenetur, quodque sortem persolvit, quæ hinc inde in Recess. Imperij & præcipuè *Ordinar. Pol. de anno 577. tit. 17. Von Wucherischen contracten* prohibita sunt, tanquam usuraria. In *titulo. 6. Item Das stliche Gelt* illud quoque usurarium habetur, si quis in minutâ pecuniâ det mutuum, & tamen majorem argenteam (imperiales) vel auream sibi reddi paciscatur. Denique si sportularum vel siliquarum nomine de sorte aliquid detrahat, & nihilominus toræ usuræ, tanquam nihilò detractò, de sorte promittantur.

LVI.

Montes pietatis, uti vocant, usuraria pravitas non raro quoque inquinat, cum illi ad alium finem omninò contrarium, quàm cujus gratia instituti, & extructi sunt, diriguntur. Hi montes ex pietate veterum quorundam Christianorum, & eorum erga pauperes commiseratione originem traxerunt, qui ex liberali & voluntariâ collatione, qualem qualem pecuniæ acervum congerentes Ecclesiarum Oeconomis custodiendû eum tradidère, quò pauperibus ex clemofynas largirentur, necessitateq; rerum impeditis sine usuris, vel certe sub valde modicis pecuniam credendo subvenirent. Sed postea sub horum montium velamine turpe & sordidum fœnus à nonnullis fuit agitatum: Principes enim quidam & Civitates, obtentu adjuvandi pauperes, construxère ædes & araria, ubi colligeretur pecunia, & egenis rogantibus erogaretur; sed quæ sub gravioribus usuris rediret. *Magnif. Dn. Mevius discuss. levam deb. c. 4. nu. 39.*

In



In multis enim locis centesima usura quotannis poscun-  
tur i. e. duodecim ad rationem centum, quæ usura spatio  
octo annorum & quatuor mensium sortem æquant. Quin  
hisce temporibus in confœderato Belgio mensuræ detesta-  
biles sane frequentantur: nam ut fœneratores, qui eas ex-  
ercent, id quod pro intuitu Reip. solvunt, quæ egregia sum-  
ma esse solet, & quod in singulos annos mercedis nomine  
præstant, salvum habeant, & lucrum aliquod faciant, binis  
tere centesimis pecuniam fœnerant, vid. Claud. Salmasium  
magnum, dum viveret, patronū meū, *lib. de Trapez. fœn. fol.*  
*744.* quod fœnus improbum est, & veterum usuras maxi-  
mas excedens, & proinde à scriptoribus damnatur, adde  
Carpz. *in pract. crim. part. 2. quest. 92. num. 6.* & alios. Insuper  
ut securi sint hujusmodi fœneratores, mutuum non  
concedunt, nisi acceptis pignoribus, quorum pretium &  
æstimatio multum nonnunquam excedit pecuniam nu-  
meratam, ac solutione & sortis & usurarum stato tempo-  
re non subsequente, montibus ea vendicant: id quod in Rep.  
non est tolerandum: efficiunt enim usurarii, ut tales pau-  
peres ab alijs mutuum sub levioribus usuris consequi ne-  
sciant; quia publicum exemplum invitat quemlibet iisdem  
artibus ditescendi. *Dom. Mevius eod. loc.* Illud sane genus  
montium licitum est, quorum ararium constat ex pecunia  
fœnore conductâ, vel sub censibus acceptâ, ubi tenentur  
mutuatarii mercedes montes Administrantium, & ex pen-  
sas restituere, & insuper usuras & census, quæ mons in ege-  
norum gratiam patitur, præstare. *Navarr. consil. 3. de usur.*  
*Lesius in append. cap. 20. num. 5. & 6. & 26. cum seq. Ioh. de Lugo*  
*de just. & jure disp. 25. num. 197. & 198.* dummodo ne plus exi-  
gatur, quam ratio sumptuum horum, & ejus quod interest,  
admittit: si quid enim plus exigatur, hoc usurarium est.  
*Molin. disp. 325. num. 5. vers. illud denique.* Cæterum qui mon-  
ti pe-



ei pecuniam conferunt, scire debent, se nihil ultra sortem ab eo sine iniustitia exigere posse, nisi fortè id, quod ipsorum interest, aliud svadeat. Navar. *consl.* 2. de *usur.* num. 1. & 2. *Bo-winsign. de montibus, c. 6. in fin.* de Lugo *loc. cit.* num. 178. Et multò minus hoc genus montis improbandum est, ubi in indigentes eà lege confertur pecunia, ut quid modicum tantùm præstent ultra sortem, pro ratione temporis, & modo pecuniæ acceptæ, ad solvenda stipendia eorum, qui montes dirigunt, & ad montium conservationem, Navar. *in com. de usuris* n. 60. Ugolin. *de usur. c. 4. §. 1. n. 2.* Lessius *de just. & 1. l. 2. cap. 20. dub. 33.* & *in append. n. 6.* & *novissime de Lugo disp. 25. n. 188.* Cavendum autem hic videtur, ne plus capiatur, quam ad salaria ministrorum montis persolvenda, & eum conservandum sufficit, de Lugo *loc. cit.* num. 120. Binsfeld. *in cap. in Civitate in fin. de usur.* Illud verò demum montium pietatis genus perfectissimum est, cum publica pecunia gratis indigentibus tribuitur, ita ut nihil ultra id, quod acceptū est, debitores restituere teneantur, quod ab Augusto non nunquam factum Svetonius *in vita ejus memorat.* & Tacitus *de Tiberio idem refert l. 5.* & Cornelius Nepos *de Pomponio Attico in vita illius testatur,* & de populo Romano Livius *lib. 7. prædicat.* Sigon. *de antiq. jur. rom. lib. 2. cap. 11.* & Rosin. *antiq. Rom. lib. 7. cap. 30.* Et hic mons est quasi asyllum & perfugium pauperum & egenorum. Ut etiam illum montem à pietate degenerem non dixeris, qui ex liberalitate debitoris, titulo fortè elemosynæ, aliquid & modicum ultra sortem accipit, quod & alijs creditoribus licet. Ugolin. *de usur. cap. 8. §. 2. num. 1.* Hering. *de fidei, cap. 26. num. 141.* nisi fortè id in portune exprimatur, vel tempore dationis mutui de certâ quantitate ultra sortem præstândâ, conventum sit. Ugolin. *loc. cit.* num. 3. Molin. *disp. 325. num. 5. vers. illud deniq.*



## L VII.

Sed hæc dicta sunt, quomodo fœnus in mutuo lateat, siue occultetur illud, siue non dissimulatio eadeoq; non sub specie & prætextu aliorum contractuum usuraria pravitæ exerceatur. Iam & hoc tangemus, quomodo in alijs negocijs non simulatis fœneratorum malitia sese exerat: cum hoc modò ea non per unum contractum occultè & simulatè vagerur, ac serpat.

## L I X.

Et quidem emtionis-venditionis contractus, quò frequentior est, eò magis fraudibus fœneratorum patere deprehenditur. Ponamus casus: Vendit quis equos, boves, piper, aut alias merces, nec pretium exigit: interiù ob dilatam pretij solutionem pluri vendit, & eò pretio, quod præsentem earum æstimationem longè superat, *Posteeyde Ordsnung de anno 177. tit. 17.* Item *das etliche Geereyde / Pferde &c.* Putant enim fœneratores, non facile deprehensum iri, quod hic fœnus contrahatur, cum nihil commune habeat venditio mercium, quæ hic non simulata & fictitia, sed certa est, cum fœnore. *Covar. var. res. lib. 2. cap. 3. num. 7. Roder. de ann. red. lib. 3. quest. 7. num. 34.* Quia vero figura verborum non inspicienda est, sed potiùs mens contrahentium, & quod vere gestum est, facile patet, pravitatem usurariam hic subesse: nam venditioni alius contractus accedit, nempe fœnus, quod non est venditio. *Cujac. in obs. l. 9. cap. 15.* sed inquinat eam: quia venditor tantùm ob tardiozem solutionem, quod rei verum pretium multùm excedit, lucrari sperat. Deinde etiã videtur hic mutuum contrahi: utitur enim venditor fictione brevis manus, id quod in omni contractu fieri potest, ex quò debetur pecunia vel quantitas alia. *l. 6. si cert. petat.* *Cujac. ad Afric. tract. 8. emtor enim concipitur justum pretium venditori tradidisse, & rursus ab hoc*



hòc ad illum id profectum fuisse, inque mutuum conver-  
sum sub usuris. *l. 9. in f. Et l. singularia. ff. de reb. cred. Petr.*  
*Navarr. de restit. lib. 3. cap. 2. num. 9. Molin. disp. 355. num. 2.* Ca-  
terùm, ut fœnus & nsûra hic intelligi possit, necesse est, so-  
lutionem pecuniæ prorogari. *Roderic. de an. redit. lib. 3. qu.*  
*7. num. 37. Et 38.* nam in emtionibus mercium & aliarum re-  
rum fœnus agitur, quoties ex solo tempore tardæ solu-  
tionis majus pretium constituitur. *Salic. in aurb. ad hæc. nu.*  
*8. C. de usur. Socin. in conf. 88. num. 15. lib. 4. Ugolin. de usur.*  
*cap. 39. §. 1. num. 4. Molin. disp. 355. num. 2.* Quare si pretium  
tempore traditionis mercium numeretur, nec mutuuum  
nec fœnus hic præsumi potest, quantumvis pretium inju-  
stum sit, ut constat *ex l. 6. C. de rescind. vend.* Verùm etiam si  
fides de pretio habita sit, non verò constet, ob ipsam solu-  
tionis dilationem pretium auctum fuisse, vera venditio in-  
tercessit, non mutuuum est celebratum, nec fœnus admis-  
sum. *Farinac. dec. 30. num. 9. Bero. in cap. in civitate. 6. de usur.*  
*num. 3.*

### LIX.

Si indigenti pecunia frumentum, oleum, vinum vel  
alia merces injusto pretio vendantur, habitâ de pretio fi-  
des hic maxima usurarij contractus suspicio oritur: egen-  
tes enim pecuniæ, & in necessitate rerum constituti facile  
adiguntur ad hæc quòcunque pretio, cujuscunque demum  
qualitatis sint, comparanda, ut illis etiam cum jacturâ ven-  
ditis, vitam tolerant, ac rebus suis consulant: Hinc in Lusitania illis, qui tales res iterum mox distracturis, ut pecuni-  
am consequantur, vendunt, omnis actio denegatur ad re-  
petendum, & præterea quinquaginta aureis mulctantur, &  
in exilium per duos menses ad loca Africæ mittuntur, ut  
refert *Salas, lib. de emt. Et vend. dub. 37. n. 5.* Execrabilis cer-  
te malitia eorum est, qui præsentî pecuniâ emunt merces  
E 2 ab in-



ab indigenti, & statim eidem carius vendunt, datâ dilatio-  
ne ad solvendum, quamvis hic casus propriè non ad hanc,  
sed eam classẽ pertineat, quã fœneratores mutuum sub  
alijs contractibus velare conantur: emtio enim hæc, quæ  
momento durat, fictitia & imaginaria est, & in fraudem u-  
furarum facta præsumitur, ut indicat *l. 3. §. si ab ignoto. ff. de  
manumiss.* Menoch. *de pres. lib. 3. cap. 122. n. 112.* E contrariò,  
qui merces indigenti vendunt, mox minori pretiò redi-  
munt, pari passu cum prioribus ambulant. Et id genus fœ-  
noris valde improbat Covarr. *cap. 3. n. 6. in f.*

LX.

Emtiones frugum vel mercium, si incertum sit, quod ea-  
rum pretium tempore traditionis sit futurum, si ob festina-  
tam solutionem vilius emuntur, usuraria non sunt, tamen si  
postea carius vendantur. *c. ult. §. 1. de usur.* Covarr. *cap. 3. n. 6.*  
damnum enim & lucrum ex dubio eventu dependent, qui  
plurimum prodest ad justitiam contractus, Leotard. *qu. 24.  
n. 34. de usur.*

LXI.

Disputari quoque hic potest, num illa venditio fœno-  
ris vitio careat? Titius vendit Mævio fundum vel aliam rem  
pro certo pretio, hæc lege, ut si Mævius plus pretij ex fundo  
vel re iterum venditâ redegerit, illud totum lucrum, vel  
pars aliqua Titio cedat. Hic obijci potest, quod ejus esse  
debeat commodum, ejus & periculum. *l. 55. §. 67. pro socio.  
l. 7. ff. de peric. & commod. rei vend.* & propterea iniquam con-  
ventionem esse, cum emtori res pereat, atq; in hunc even-  
tum venditor emtori nihil remittat. Accedit, si forte res  
ideo pluris vendita sit, quod fortasse valor rei post venditi-  
onem creverit, æquum esse, ut dominus, qui est emtor, emol-  
umentum illud percipiat. Sed quia fieri potest, quod alias  
venditor non fuisset venditurus, ac pacta adjecta servari de-  
beant. *l. 1. §. ult. C. de pact. inter emtor. l. 7. in f. de contrab. emt. l.*

*13. §. 6.*



13. §. si inter ff. de act. emt. ubi addatur Gl. quæ legem dant  
contractui: præterea quoque hæc conventio pars pretij vi-  
detur. l. 6. ff. de serv. export. l. 21. §. si tibi. de act. emt. æquitas  
postulat, ut hæc conventio servetur. Quod Gl. add. l. 13. §. si  
inter. de act. emt. etiam approbat, nec pro usuraria habeatur:  
quia è contrariò etiam hoc valet pactum, ut si emtor mino-  
ris vendidit, id venditor emtori refundat, arg. l. 12. §. pen. ff.  
de pact. dozal. vid. Cujac. in l. 13. §. si inter de act. emt. inf.

LXII.

Non incongrue quoque emtionem nominum, & alie-  
narum litium redemptionem hic subungere posse vide-  
mur. Sed hoc excutiendum hic nobis venit, an hic sit usura-  
rius contractus, nec ne? Et videtur, quod inter usurarios  
contractus referri non possit: primo enim emtio venditio  
revera hic contracta est, & nihil interest, utrum nomen pu-  
re & præsentis die, an sub conditione & ad diem debeatur,  
l. 17. ff. de hered. & act. vend. & l. 19. eod. Wetsenb. n. 6. de usur.  
Nullaque hic usura ratio intelligi potest, etiam si hæc ven-  
ditio à justo pretio nimium quantum recesserit: hoc enim  
eam non facit irritam, nec dici potest negotium ad aliud  
genus contractus pertinere, cum constat, rem vilissimò et-  
iam pretio comparari posse, l. si usus fr. de jur. dot. l. si donationis.  
ff. de donat. inter vir. & uxor. & l. 3. inf. de eo quod certo. Mant.  
de tac. & amb. conv. lib. 3. tit. 13. num. 2. Bero. in c. in Civitate.  
num. 10. de usur. Secundò, nullius quantitatis hic debitum est,  
cui ex tempore tardæ solutionis usura accedere possit, vel  
potuerit: nam quando debitor usuras solvit, quantitatis debi-  
tor esse debet, Cajet. verb. usura cap. ult. vers. quod nullum:  
at venditor hic esse debitor nequit: nominis quippe cessio  
vicem traditionis obtinet, Tiraquell. de retract. lib. 1. §. 1.  
Gl. 7. n. 12. & cedens liberatur, ita ut nec debitorem locuple-  
tem præstare teneatur, nisi aliud actum sit. l. 4. ff. de hered.



*vel act. vend. Mantie. de sac. & amb. conv. lib. 3. tit. 13. num. 10.*  
Quare hic dici non potest, cum cedente fœnus esse contra-  
ctum, & expirat potius negocium inter venditorem & em-  
torem nominis, & proinde nominis venditor eò loco habe-  
ri debet, quò is, qui aliàs rem vilius vendit & tradit. Multò  
minus cum debitore cessio fœnus contractum concipi po-  
test: quia illud nisi inter consentientes non contrahitur, *l.*  
*singularia. & l. non omnis si cert. petar. & debitor, cujus nomen*  
*venditum est, non novâ obligatione tenetur, sed à cessionario*  
*mandatis actionibus convenitur, l. ult. c. quand. fisc. vel*  
*priv. l. 3. c. de novar. Petr. Greg. syntag. jur. civ. lib. 21. c. 20.* Deniq;  
hic nihil ultra sortem debitam præstare cogitur, in quò  
posita est fœnoris ratio, de Lugo *de just. & jur. disp. 20. n. 98.*  
*& 99.*

LXIII.

Proinde dici posset hoc negociũ huc non spectare. Quia  
tamen simulatio & fraus hic sæpe intervenit: quandoqui-  
dem is, qui emit actiones vili pretio, & qui lites redimit, ta-  
cite id egisse videtur, ut quod supra pretium ex obligatio-  
ne seu nomine, & ex lite consecutus fuerit, sibi habeat, &  
ferat partem futuræ victoriæ, Cujac. *ad tit. mandat. circ. fin. &*  
*aliàs conventio hæc præsumitur injusta, quippe cui vitiũ a-*  
*varitiæ à parte emtoris causam dedit: ad nostrã hanc tracta-*  
*tionem quodammodo pertinere videtur. Definitum ita-*  
*que est l. pen. & ult. c. mandat. ne quis mandatã vel cessã sibi*  
*actione amplius ex eã ferat, quàm mandanti præstiterit.*  
Et proinde, si quis vendat debiti quantitatem alteram, al-  
teram verò titulo donationis in cessionarium conferat,  
quia & hoc casu improbæ redemptioni color quæsitus ap-  
paret, non valet cessio supra modum pecuniæ numeratæ,  
*d. l. ult. c. mandat. nisi donatio ex meritis colligi possit. Tren-*  
*tacinq. lib. 2 tit. de act. cap. 2. num. 23. Anton. Faber. in suo*  
*Cod. tit. de hered. vel act. vend. def. 6.* Et præterea ne quidem  
valet,



valet, tametsi jusjurandum cessione accesserit. Menoch. *de*  
*pres. 129. n. 8. & consil. 81. n. 29.* neque ex ipsa cedentis con-  
fessione vires consequitur, Bart. *inl. per diversas. n. 11.* quia me-  
tus subest & suspicio, ne vexandi debitoris causa actiones  
cedantur, fiatque fraus legibus. Anton. Fab. *tit. de hered.*  
*vel act. vend. def. 5. num. 3.* Sane sumtus & impensas litis, quas  
in actione nominis, cessionariam necessario subire oportet,  
is consequi potest: horum enim sumtum rationem haberi  
aequum est: sunt enim velut pars pretij. *l. fundi partem.*  
*de contrah. emt. l. 21. §. si tibi, de act. emt.* Cujac. *ad tit. C. man-*  
*dat. circ. pr. & Petr. Gregor. Synzgm. jur. civ. lib. 49. cap. 4.*  
*num. 30.* Et insuper, si debitor pecuniam, quam cedenti nu-  
meravit, restituere moreretur, ad usuras hoc nomine à cessionario  
conveniri potest. *d. l. per diversas.* illis verbis: *usq. ad*  
*ipsam tantummodo solutarum pecuniarum quantitatem, & usura-*  
*rum ejus actiones exercere permittitur.* Caret enim talis  
emtor interim pretio, in quantum sc. illud concurrat cum  
debiti venditi quantitate. Carpz. *par. 2. consil. 30. def. 36.*

LXIV.

In vero locationis-conductionis contractu scenus quo-  
que committi potest, v. g. si quis conducat certum opus faci-  
endum, & ob dilatam mercedis solutionem operas suas  
majori mercede locet, quam aestimari possunt, Ugolin. *de*  
*usur. cap. 54. n. 1. & 2.* item si quis certam rem, veluti equum  
vel bovem; justo pretio aestimatum ad certum tempus eâ  
lege locet alteri, ut eò quodcumque pereunte, non solum  
aestimationem, sed & lucrum praestet, quod iniquum est,  
cum domino, qui hic locator est, res pereat, Ugolin *eod. loc.*  
*n. 3.* Br. *in l. si ut certo. §. nunc vidend. ff. commodar.* nisi res  
conductoris culpa perierit, *l. 13. §. si quis serv. locat.* Hoc quo-  
que scenus involvit, si locator cum conductore pacifca-  
tur, ut dum pensio non solvitur, aliquid annuum condu-

tor



Et oportet prestare teneatur: nam cum pensio in vicem fructuum  
vel prestetur, si locatori ultra pensioem aliquid certum  
vel incertum pacisci permitteretur, duplicem compensa-  
tionem ex eadem re consecuturus esset, quod iniquum, *l. 57. in f. de re judic. & l. 57. de R. I.* atque adeo commodum com-  
modi perciperet: accessio vero accessionis non debetur, *l. ult. C. de usur.* Proinde si locator præter pensioem, ali-  
quid aliud ex re locatâ accepit, id in pensioem compu-  
tare cogitur. Diversa ratio est in venditore, qui si paciscatur  
cum emtore, ut quousque pretium hic non solvat, usuras  
inde pendat vice fructuum, & pro modo & ratione eorundem:  
vel ut emtor conductam habeat rem venditam (fundum) pro  
pensioe certâ, donec pretium numeret, foenus non committit,  
*Castr. in l. Iulianus, §. ex vend. de action. emt.* Covarr. *variar. resol. lib. 3. cap. 4. num. 6.* Nam venditor  
non ex commodum commodum, quod locator hic faceret,  
sed ex re ipsâ emolumentum percipit, quod permissum est.  
Deinde venditor uno eodemque tempore & re, & pretio  
destituitur; emtor vero utroque fruitur, quod æquitati  
non convenit, *d. l. Iulianus §. ex vend. de act. emt.* & in loca-  
tore aliter se habet: nam ille continuò pensiones accipere  
intelligitur, licet justo tempore nõ solvantur currunt enim  
semper, & idem hoc casu esset, ac si dicere vellem: si re ven-  
ditâ emtor pretium statim non solvat, quod tum non solu-  
m usuras ejusdem prestare teneatur, verum etiam, nisi  
hæ justo tempore pendantur, adhuc certum quoddam in-  
super dare. Sane si in pensiois solutione mora fiat, lo-  
cator usuras ejus nomine consequi potest, *l. 17. §. 4. de usur.*

LXV.

Verus societatis contractus etiam foenus admittit, v-  
g. si greges jungantur, ita ut unus fructus & accessionum  
dimidium ex grege percipiar, nec tamen ullum periculum  
fusti-



sustineat, omni curâ & periculo gregis in socium devo-  
luto, quod prohiberum invenitur in Fürstl. Brauns. Lüneb.  
Tax. Ordnung tit. 76. v. 7. Das auch sich Leut befinden/ &c.  
item si quis frumentum alterius frumento addat, hâc con-  
ditione, ut ipsô nullum laborem nec impensas sustinente,  
dimidium proventus ad eum perveniat. vid. Leotard. de  
usur. quest. 31. num. 10.

LXVI.

In mandato verò usuraria pravitas obtineri difficul-  
ter potest, sed plerumque, si in fraudem usurarum inritum  
sit, mutuum in eo latere deprehenditur: quod & in com-  
modato ita se habet, si v. g. quis pecuniam alicui commo-  
daverit hâc lege, ut, si vellet, eam in usus suos converteret,  
potius mutuum quam commodatum contrahitur, de quo  
supr. Nec in verò depositô fœnus admitti posse videtur: si  
enim res, cujus usus in abusu non consistit, ut equus, ve-  
stimenta, aut id genus alia deposita sint, si depositarius illis  
utatur, licitè pro eo usu quid exigitur. Mantic. de tac. &  
amb. conv. lib. 8. tit. 18. num. 23. & seqq. hâc enim non est usura  
aut fœnus, sed locatio conductio, l. 1. §. 8. ff. de pos. quæ  
naturalis & omnium Gentium est; sin verò dentur res,  
quæ functionem in genere recipiunt, seu quarum usus in  
abusu consistit, ut oleum, vinum, pecunia, hoc depositi fi-  
nes egreditur, l. 9. in f. si cert. per. l. 1. §. si pecun. ff. de pos. &  
pro simulato & in fraudem usurarum celebrato deposito  
habetur, depositi nomen & imaginem tantum habens: re-  
vera enim est mutuum palliatum, implicitum. Fed. de Sen.  
in consil. 303. colum. 2. Menoch. consil. 109. num. 28. i. c. de po-  
nens simulat se contractum depositi inire, cum in rei ve-  
ritate tamen mutuum contrahat, & illud sub deposito oc-  
cultare conetur. Nec interest, licet deposito pactum de  
usuris statim, vel eò initio rite celebratô & sine fraude,  
post intervallum adjectum sit: neque enim novum est, a-  
vari



varitiam etiam eos contractus, qui pure & bona fide initi sunt, fœnore polluere, Ugolin. *cap. 62. num. 2.* Hinc privilegia, quæ aliàs vero deposito concessa sunt, fœsio & in fraudem usurarum inito denegantur: nam aliud est credere, aliud deponere, Benuen. Strach. *de decoct. part. ult. n. 4.* Cujac. *in l. Lucius. 24. de pos. & in l. 8. eod.*

LXVII.

Diximus supra, etiam usurarum usuras esse prohibitas, *l. 28. & 29. C. de usur.* cui prohibitioni ut fraudem fœneratores faciant, usuras in summam reputare, & super novâ sorte contrahere, & instrumenta confici curare solent, quò ex sola sorte, non ex usuris usuras sumere videantur. Vide Magnif. Dn. Mevium. *discuss. levam. deb. c. 4. n. 25. & seqq. usq. ad 30. & Bach. ad Treutl. tit. de usur. & mor. hb. 5. lit. A.* Quod si à debitore, qui sortem & usuras debebat, debitum in aliû translatum sit, tunc usuræ in hujus novi debitoris persona non amplius usurarum, sed sortis vice funguntur: mutata namq; est debitoris persona, Carpz. *part. 2. consil. 30. def. 48.* & Bachov. *diët. loc.*

LXIX.

Regulariter jure quidem civili usuræ ultra alterum tantum exigì prohibentur, *l. 26. §. 1. ff. de condit. indeb. l. 4. §. 1. D. de nau. fœn.* quod fit, si usuræ sortem adæquent, ita ut duplo illi fors insit. Iungantur *Novell. 121. cap. 2. & l. 27. §. 1. C. de usur.* hinc si ultra alterum tantum solutæ sint, conditione eas repeti posse patet ex *102. tit. ff. de condit. indeb.* Fallit tamen hoc non raro: excipiuntur enim *primò* usuræ rei judicatæ, v. g. si debitor, qui ad alterum tantum usuras jam tum exsolvit, ad restituendam sortem condemnatus fuerit, & nihilominus sententiæ parere recuset; *secundò*, annui redditus, quamvis hi formaliter usuræ non sint: *tertiò*, si debitor interpellatus de sorte solvendâ, eam tamen solvere supersedeat, morasque malitiose nectat: *quartò*, si usuræ non tanquam usuræ, sed ut interesse petantur. Dn.



Dav. Mev. *disc. levam. deb. cap. 4. num. 39. 34. 35.* Hodie autem multis in locis usurae ultra alterum tantum exigi possunt, ut testatur Consultiss. Dn. Praeses in *Observ. de nav. fav.* & in *additione post disp. de conduct.* Et sequitur hinc rō accipere usuras alioquin legitimas ratione quantitatis, non esse *ἀδίκον*, aut usurarium *ἀπλώς*, & per se ac *Φύσει*, sed *κατὰ ν.* Adde Dn. Mev. *disc. levam. deb. c. 4. n. 36. in f.* ubi habitam sub Nobiliss. Dn. Praef. Praeceptore & fautore meo colendissimo. *disp. de altero tanto* hoc nomine summopere commendat. Neq; verō de usuris & hoc prętereundū, quod etiam ratione quantitatis usuraria stipulatio quandoq; habeatur, ut si vi. aut ultra pro promissa sint. Ex quib<sup>9</sup> itaq; quod juri Caesareo hoc sit contrarium, sextus thalerus & similes supernumerarij soluti, restē condicuntur, *arg. l. eos. C. de usur.* Quemadmodū pręjudicijs ab illustri Regimine Hallensi usurpatis probat Conf. Dn. Praef. *obs. 1. de usur. p. 62.* & secus esse atq; obtinere monet in Ducatu Wolferbyitano & Kalenbergico, in quibus propter Constitutionem provincialem licitum sit vi. pro C. stipulari. Sicq; ab illustri Cancellaria Hannoverana in causa Bartold Otten von der Decken contra Dn. D. Henningum Lüdiken anno 1649. d. 1. Jul. pronunciatū, & id ipsum paulo post pro communi Decreto publicarum fuisse certissimum est, notante Eod. Clar. Dn. Praef. *d. l.* ubi & hance jurium variationem habere causam hanc, quod determinatio quantitatis usurarum sit juris positivi, pluribus inculcat.

LXIX.

Quæ de conjecturis generalia diximus, sufficient: neque enim singula evolvere possumus: nam pleraque in circumstantijs sunt fundata, quæ certā aliquā regulā vix definire possunt. Quā de causa & arbitrio Judicum committuntur: Covarr. *var. resol. l. 3. cap. 8.* Mysing. *cent. 3. obs. 62.* Menoch. *lib. 3. pras. 122.* & *de arbitr. Judic. cas. 247.*



*num. 3. Anton. Fab. C. tit. plus valet quod ag. def. 1. num. 6.*  
*& tit. de probat. def. 60. in f.* Solent autem periti Iudices  
 non ex unâ vel alterâ, sed pluribus conjecturis procedere,  
 nec facile ad rescindendos contractus proflire; nisi multa  
 conjecturæ, de quibus hæcenus diximus, concurrant.  
*Cujac. consult. 35. Mantic. lib. 8. tit. 22. num. 26. Grimaud.*  
*de usur. & contract. pignorat. lib. 3. cap. 12.* Nam quoties  
 ambigua oratio est, commodum est id accipi, quò res, de  
 quâ agitur, magis valeat, quam percat, ut inquit Iulianus  
*l. 12. ff. de reb. dub. jungatur l. 21. ff. eod.* Similiter quoties  
 pugnantes sunt conjecturæ, quæ in utramque partem non  
 trahunt, sustinendus est contractus tanquam verus, & non  
 simulatus, *arg. leg. Iurisdictionum. §. quod fere. ff. de pact. l. cum*  
*precibus. C. de probat. donec manifestò contrarium appareat.*  
 Et nisi hoc observetur, possessiones multorum annorum,  
 & dominia rerum justis & veris titulis quæsita in dubium  
 vocabuntur. *Grimaud. de usur. & contract. pign. lib. 3. cap.*  
*15. num. 5. & 8.* præsertim, si venditores videant, emtores  
 ex rebus emtis, quod quandoque fieri solet, ingens lucrum  
 captare. Quam obrem iudices non præcipiti festinatio-  
 ne quicquam decernere, sed subsistere & cuncta rimari o-  
 portet, & non tantùm conjecturas numerare, sed earum  
 vim ac potestatem perpendere: singularum enim conje-  
 cturarum non idem pondus est. *Honorat. Leotard. de*  
*usur. quest. 9. num. 7.*

LXX.

Cum itaque vim ac potestatem conjecturarum &  
 præsumtionum æstimare boni Iudicis sit, conferre eas,  
 quantum quidem generaliter fieri potest, operæ pretium  
 erit. Quæ itaque conjecturæ ostendunt essentialia con-  
 tractus deficere, cæteris potentiores sunt, v. g. quando ap-  
 pareret, venditorem animum transferendi dominij nun-  
 quam habuisse: est namque de essentia dominij intentio  
 transferendi dominij in emtorem. *Theoph. Inst. de rer.*



*div. §. 40. item si pretium sit vilissimum, Mascard. concl. 447. num. 7. & 9. Covarr. var. res. lib. 3. cap. 8. num. 4. Afflic. in dec. 65. Mart. Med. inter dec. Senens. exam. 20. num. 38. pretium enim essentiale contractus emtionis venditionis quoque constituit, ut ib. 38. dictum fuit. Ita quoque pacta in continenti emtioni venditioni addita graviores præbent suspiciones, quàm quæ ex intervallo adijciuntur.*

LXXI.

De omnibus in universum præsumtionibus notandum est, eas plene ac perfecte in suo genere probari debere. Mantica *de rac. & ambig. convent. lib. 8. tit. 20. n. 30.* Nam nimis periculosum est, indicia per indicia probari. Anthon. Fab. *in Cod. tit. de prob. & præf. def. 51.* Cum enim conjecturæ & suspiciones per se minus certæ sint, & ex indicijs judicare cum periculo conjunctum sit; profectò augetur periculum à veritate aberrandi, nisi de conjecturis ipsis plenissime ac perfecte constet. Quintil. *lib. 5. cap. 10.* Ex quò fit, ut, venditor si contractum venditionis simulatum esse dicat, idque ob pactum retrovendendi, consuetudinem foenerandi, læsionem &c. probare hæc plene & perfecte debeat. Ita v. g. pretij vilitas, de quâ *ib. 39.* diximus, probanda est, inspecto valore rei, qui erat tempore contractus, non minùs, quàm cum de rescindenda ex hac causa venditione agitur *ex l. 8. C. de resc. vend.* quia pretia rerum cursu temporis solent mutari; *l. 3. §. divi fratres. de jure fisc.*

LXXII.

Conjecturis itaque non sufficientibus existentibus, ut præsumi possit, foeneratitium contractum celebratum esse, quæritur, an actori sit deferendum juramentum probationis suppletorium? Et Mantica *de rac. & ambig. convent. part. 1. fol. 515. num. 29. & 30.* respondet, si tantum agatur, ad restituendas usuras superfluas, quod tunc huic juramento



probationis suppletorio locus relinquatur, etiamsi unicūm tantummodo adsit adminiculum, & alioquin actor sit vir bonus, nec iniquus. Requiritur porro' ait, ut hoc iuramentum deferri possit, conjecturam quamlibet per duos testes probari. Ex hisce præmissis & supra traditis facile colligi potest, quando pravitas usuraria in contractibus excludatur: nam circumstantiis ijs, quæ fœneratorum fraudes arguunt, inspectis, facile apparebit, quando simulatio in negocijs adhibita non est. Pro fundamento posuimus: *Quod quis vult, cum potest, facit*, & utrumque, voluntatem nimirum & potestatem concurrere debere, ut quis simulata negocia gerere concipiatur. Ita de quò est bona opinio, cujusque vitæ integritas manifesta est, hic non præsumitur usurarius. Tiraquel. *de retract. conv. in f. num. 131.* Menoch. *consil. 343. num. 17.* nam etiamsi possit maximè, non vult tamen fœnus committere: quemadmodum enim fœnerandi consuetudo suspicionem fœnoris inducit; ita bona fama & candor eam removet: hinc poena adjecta in contractu, præsertim speciei, ex honestate personæ intelligitur loco interesse. Prob. ad Menoch. *in rubr. de usur. nu. 35. lib. 6.* In rustico, propter simplicitatem, fœnoris præsumtio non facile locum habet, Gl. *in l. cum allegas. C. de usur.* & Bald. *ibidem, num. 9.* & Iason. *in l. juris ignorantia. num. 4. C. qui admitti. nisi vaser deprehendatur; quia varias ambages occultandi fraudes, & artem simulandi ignorare præsumitur: unde si rusticus emat prædium exiguo pretiò, cum pacto revendendi, contractus non habetur usurarius. Cæpol. de simul. contr. præsume. 26. num. 106.* Covarr. *variar. resol. lib. 3. cap. 8. num. 4.* Idem obtinere videtur in fœminis, minoribus, militibus, propter juris ignorantiam, Gl. *in d. l. cum allegas. C. de usur.* & Natta. *in consil. 586. num. 8. in fin.* nisi astutia & calliditas horum contrarium svadcat. Ac-

cedit



cedit, quod plerumque in dubio versetur, num contractus simulatè initus sit: contractus enim in dubio non censetur usurarius & simulatus, sed talis intelligitur, qualis apparet, nec præsumitur foeneratitius, quamdiu scilicet secundum naturam suam sine vitio concipi potest. *Mantic. de tac. & amb. convent. part. 1. fol. 509. num. 1.2. & seqq.* Consuetudo porro regionis foeneris suspicionem rejicit: contractus enim, qui in regione celebrari consuevit, præsertim à viris honestis & gravibus, licitus & validus censetur. *Tiraquel. de retr. convent. in fin. num. 127. Cravett. consil. 6. num. 103.* Cessat & suspicio foeneris, si quis casum fortuitum susceperit. *Paul. Cast. & Iason. in l. Titius. de præscr. verb. & Cravet. consil. 145. num. 5.* multum enim ipsi abest, qui semper metuere periculum cogitur: at usurarij quovis modo sibi cavere satagunt, ne minimum quidem commodi ipsis elabatur. Par ratio est in dubio eventu. *Tiraq. de retract. conv. in f. num. 133.* Item si palàm contractus factus sit, omnis simulationis expertus præsumitur, quia quæ palam fiunt, carent fraudis suspicionem, *l. nemo clericus, C. de sum. Trinis.* cum è contrariò foeneratores adedò clanculum & fraudulentè contrahant, ut evidenter criminis usurarum rarò convinci possint. *Mantic. de tacit. & ambig. convent. lib. 8. tit. 17. num. 7.* Sed hæc in commentarijs Autorum legi pluribus possunt.

### LXXIII.

Explicatum hæcenus à nobis est, quibus probationibus vel conjecturis usurarij contractus detegatur. Restat, ut dicamus, quomodo iniquitas horum contractuum officio Magistratus corrigatur. Hæc autem inæqualitas corrigitur non auferendo integram sortem creditori, *l. pecunie. & l. placuit. ff. de usur.* ne, dum amissione sortis ejus avaritia coercetur, debitores sine causa & injustè sortem



sortem retineant, & cum alienâ jacturâ locupletentur.  
Navarr. in *consil. 9. num. 2. tit. de usur.* Quare ubi usuræ in  
totum prohibitz sunt, quicquid nomine usurarum nu-  
meratum est, sorti imputatur. Et si sortem cum usuris  
creditor exegerit, id, quod supra sortem exactum est, red-  
dere cogitur. In hoc enim corrigendi genere sola Arith-  
metica comparatione utimur, inquit Honorat. Leotard.  
*tract. de usur. & contract. usurar. coercend. quest. 10. num. 2.* ut  
scilicet creditor tantum recipiat, quantum numeravit, &  
dedit. Quod excedit, injustum est, & reddi debet, *cap. 7.*  
*& 2. de usur. cap. debitores. de jurejurand.* Quin imò credi-  
tor non solum reddere tenetur, quicquid supra sortem ac-  
cepit, sed etiam id refundere, quanti sc. interest debitoris,  
quicquid usurarum nomine solvit, non retinuisse, uti cen-  
set Honorat. Leotard. *de usur. & contract. usurar. coercend.*  
*quest. 96. num. 17. & seqq.* qui multos autores hanc senten-  
tiam approbantes laudat, & rationem addit: quia scenera-  
tor inter fures habetur, & ita semper moram facere vide-  
tur, ex qua interesse deberetur, *l. 3. de condict. furtiv. & l. 38.*  
*§. interdicto. ff. de usur.* etiam in stricti juris judicijs, *l. 114. de V.*  
*O. l. 13. ff. rem rat. hab. l. 11. ff. de re jud.*

LXXIV.

Ita in corrigenda inæqualitate subsistimus jure quidem  
Civili, quod alij legislatores non fecerunt. Nam Plato ad  
vitium avaritiæ puniendum progressus, *lib. 5. de legibus*, scē-  
neratores etiam amissione sortis puniendos censet. Quin  
olim lege Gabinia non modo amissione sortis multaban-  
tur, sed etiam alijs pœnis afficiebantur, qui modum usurarū  
excessissent: vid. Rosin. *antiquit. Rom. lib. 8. cap. 20.* In Gal-  
liâ constitutione Henrici Quarti, dicti Magni, quâ reditus  
annaos redegit ad rationem unius pro sedecim, *audenier sei-*  
*ze*, ut loquuntur, omnibus injunctum est Magistratibus, ut  
in trans-



in transgressores hujus Edicti tum amissione sortis, tum alijs pœnis animaduertant: Philibert. *de legib. abrogat. lib. 6. cap. 68.* Sed jure civili certis tantum casibus foeneratores & sortem amittunt, quorum præcipuus est, quando filijsf. pecuniam credunt, (filiosf. credere est perdere, inquit Ulp. *l. 3. ad Senat. Maced.*) idque ex Scto Macedoniano, cui causam nomenque dedit celeberrimus ille foenerator Macedo. *l. 1. eod.* De hoc Svetonius ita: *Autor fuit (Vespasianus) Senarui decernendi, ne filiorumfam. foeneratoribus exigendi crediti unquam jus esset, h. e. ne quidem post patrum mortem.* Quamvis varias patiarur exceptiones,

LXXV.

Est & alius casus, quo creditor & sortem amittit: in agriculturalum enim favorem introductum est à Justiniano *Novel. 32. & seqq.* ut si creditor antichresin paciscatur, vel creditis pecunijs majorem usuram, quam trientem stipuletur: frumento vero, & alijs speciebus creditis ultra octavam partem modij, quæ fere est usura centesima, jus crediti amittat; & si miles fuerit, hoc amplius exauctoretur. addi. Cujac. *ad d. Novel. 32.* Borcholt. *de usur. c. 6. n. 7.*

LXXVI.

Præterea adhuc datur alius casus: quando quis à debitore suo dolo malo cautionem majoris quantiratis extorquet, quam sibi debetur, & numeratum fuit, eaque cautione agit & litem contestatur. Quod si enim de falsa quantitate convincitur, litem amittit, *l. unie. C. de plus pesit.* Quæ circa hanc constitutionem exceptiones notandæ veniant, apud Dd. videri possunt.

LXXVII.

Nec omittendus est iste casus, quò jus crediti amittitur, cum debitori vim creditor facit, & extorquet, *l. 6. & 7.*

G

C. unde



*C. unde vi l. 12. in f. l. extrat. 13. quod met. caus. Exceptiones vi-  
de apud Menochium de recuper. poss. rem. s. n. 25.*

LXXIX.

Idem constitutum est circa eum, qui sciens pecuniam  
credit in rem turpem consumturo, *l. 24. §. ult. de minor. l. 12.  
§. si adolescens. ff. mandat. leg. 8. ff. pro emtor.*

LXXXIX.

Denique idem constitutum est adversus Creditores, qui  
debitorum liberos retinere audent, vel causâ pignoris, vel  
ad servile ministerium. Nam non tantum ipso debito ca-  
dunt, sed & in alteram tantam summam condemnantur,  
quæ homini retento vel parentibus ejus tribuitur, & præ-  
ter hæc corporali pœna pleantur, *Nov. 134. cap. 7.*

LXXX.

His casibus jure civili fors amitti solet: hoc enim jure  
foeneratores ob illicitam usurarum stipulationem sortem  
regulariter non amittunt, *l. placuit. & l. usuras. ff. de usur. l. si  
pro mutua. C. si cert. per. l. ult. ff. quod met. caus.*

LXXXI.

Denique ex constitutione Diocletiani & Maximiani,  
*l. 20. C. ex quib. caus. infam. irrog.* foeneratores infamiâ no-  
tantur, verba sunt: *Improbum fœnus exercentibus & usuras u-  
surarum exigentibus infamia macula irroganda est:* quod intel-  
ligendum est, si quis foenerator judicatus est, vel ipse  
se fœnus exercuisse in judicio confessus fuerit: quia con-  
fessus pro judicato habetur, *l. 1. & 3. in f. de confess.* vel tes-  
tibus & quibuscunque probationibus judicialiter rece-  
ptis de pravitate usurariâ convictus est. Caterum qui  
fœnori palam operam dant, ipso quoque jure infamiam in-  
currunt, *d. l. 20. C. ex quib. caus. inf. iir.*

LXXXII.

Renunciatio porro exceptionis simulati contractus  
nulla



nulla est, licet in continenti fuerit adjecta contractui: Bart. in l. 55. ff. de leg. cum ne quidem etiam cum juramento renunciare liceat huic exceptioni. Gl. in l. 3. C. plus valet, quod ag. & lafon. in d. l. 55. Ratio est, quia talis contractus destituitur omni fundamento, quod est consensus: lex enim præsumit contrarium actum esse, d. l. 3. C. plus valet quod ag. l. 5. C. de O. & A. & tradit Bald. instrumentum simulatum probatâ simulatione non esse instrumentum, saltem in effectu; quia aliud actum, aliud scriptum est. Bald. in l. fin. §. in computat. circa fin. C. de jur. delib. Quin etiam, si debitor exceptionem simulati contractus non opponat, Iudex ex officio investigare debet, num hujusmodi contractus celebratus sit, vid. Clariff. Dn. MCV. discuss. levam. deb. cap. 4. num. 37.

LXXXIII.

Ex statuto vel consuetudine præterea apud nos puniuntur usurarij, & apud Pontificios jure Canonum; ut adeo tria poenarum genera hic constituenda videantur: Civiles, de quibus jam dictum, statutarie vel consuetudinariae, i. e. quæ ex consuetudine irrogantur, & demum Ecclesiasticae. Statutarias poenas vocamus illas, quæ vel ex Recessibus Imperij, vel ex statutis & consuetudine in Provincijs & Civitatibus receptis sceneratoribus infliguntur. Et quidem Ordinat. Pol. de anno 1500. 1530. 1532. 1548. & 1577. tit. Von Wücherlichen Contrâden quarta pars sortis illis aufkertz, sol den vierten theil an seiner Hauptsomma verlohren haben/ der seiner bürgerlichen Obrigkeit heimgefallen/ vnd sol auff solchen viertentheil durch dieselbe Obrigkeit abgestraffet werden/ id quod etiam testatur Gail. lib. 2. obs. 4. num. 9. Constitutio Ducatus Cellensis in Ordin. Polit. tit. Von Wücherlichen Contrâden 39. sequitur in hoc Imperij Recessus. Idem facit Constit. Duc. Wolferbytano-Calenbergica de an. 1617. in f. item Const. Württembergica in der Fürstl. Landsordn. r. von Wücherlichen



*Cherlichen Contracten f. 117. ibiq; Georg Lud. Lindenspär in  
comm. n. 18. De Marchiâ Brandenburgicâ videatur Joach.  
Schepliz p. 1. 2. 1. Politica Ordin. Archiep. Magdeb. 1. von  
Bucher 46. etiamsi se referat hactenus ad Imperij Reccusus:  
optimo tamen instituto Iudici quoque permittit privatio-  
nem sortis integræ, vel pro dimidio, pro conditione usura-  
rij quandoque decernere.*

LXXXIV.

Ecclesiasticæ pœnæ sunt, quod non possit manifestus u-  
surarius ordinibus sacris insigniri, nec ad officia & beneficia  
ecclesiasticâ promoveri, ut colligitur *ex c. infames. 6. quæst. 1.  
c. 8. dist. 46. & c. inter dilectos, de excess. Prælar. Petr. Gregor. de  
usuris. lib. 3. c. 1. n. 3. & partit. jur. Can. lib. 3. tit. 5. cap. ult. num. 4.  
Ugolin. de usur. c. 26. n. 7. Molin. disp. 334. n. 2.* Secunda pœna  
est, quod si jam in ordinem Clericorum receptus sit, & be-  
neficijs gaudeat, ab officio removeatur, & beneficia ei auf-  
ferantur, *c. 7. de usur. illis verbis: ut si Clerici sint, ab officio & be-  
neficio suspendas, Ugolin. c. 23. n. 1.* Hæc vero suspensio non fit  
ipso factò, sed sententiâ Iudicis ecclesiastici decernitur. *Can-  
nis. de usur. c. 8. n. 1.* Tertia pœna est, quod admonitus, ne fœ-  
nus committat, si parere supersederit, excommunicetur, *c.  
prætereā. & c. 13. de usur. Ugolin. c. 25. n. 3. Petr. Greg. lib. 3. c. 3.  
n. 1. de usur. Canis. d. cap. 8. num. 1.* Quinta pœna est, quod  
manifesti usurarij à sacramento pœnitentiæ, uti Pontificij  
loquuntur, & communionem sacrae Coenæ arceantur & pro-  
hibeantur, *c. ult. §. ult. de usur. lib. 5. c. 25. & c. 3. de usur. Ugolin.  
cap. 24. n. 1.* Sexta pœna est sepulturæ Christianæ denegatio,  
*c. quia in omnib. de usur. illis verbis: nec Christianam, si in hoc de-  
licto decefferint, accipiant sepulturam, & c. quamquam. de usur.  
lib. 6. Ugolin. c. 24. §. 1. & 4.* Sed hæc pluribus apud Cano-  
nistas videre licet. Nos pro instituti ratione  
satis dixisse rati, hic subsistimus.

F I N I S.



99 A 6944

ULB Halle  
002 822 598

3




Vb 17

Retro J









130.  
DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
CONTRACTIBVS  
USURARIIS,

Don Wücherlichen Contracten.

Q V A M

ANNVENTE DIVINA GRATIA,

PRAESIDE


NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSI-  
MO, AT QVE EXCELLENTISSIMO VIRO

DN. HENRICO HAHNEN/ICTO,  
CODICIS PROFESSORE ORDINARIO,  
FACVLTATIS SVÆ SENIORE, AC DICASTE-  
RII GVELFERBYTANI ADSESSORE &c. DN. PRÆ-  
CEPTORE ET PATRONO SUO Æ-  
TATEM HONORANDO

*Publicæ disquisitioni submittit*

HENNING JOHAN LARCKE

Ad diem xxx. Ianuarij.



HELMESTADT:

Typis HENNINGI MULLERI

CIO IO G LVI.

